



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Commentarii Tres in Universam Aristotelis Philosophiam

Commentarius Secundus In Octo Libros Physicorum Aristotelis

Crespin, François

Bruxellæ, 1652

Disputatio II. De primo Principio Corporis Naturalis, sive Materia prima.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95369](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95369)

ajens privationem esse Principium ex accidente, puta respectu illius in facto esse; siue enim illa præcesserit, siue non, Corpus Naturale in facto esse idem manet, ergo, &c.

XLVII. Confirmatur 2^o, quoad substantiam, de qua tantum potest esse difficultas; Principiorum Physicorum strictè sumptorum ex Aristotele allata definitio est Principiorum Corporis Naturalis Physicè completi absolute, & non solum secundum esse naturæ, ut supra vidimus; atqui illa definitio haud minus convenit substantiæ, quam materiæ & formæ; ergo substantia est Principium Physicum strictè sumptum Corporis Naturalis in facto esse, haud minus, quam materia & forma: quod autem dicit P. Ovidius substantiam non esse ens Physicum, sed Metaphysicum, caret fundamento; quia arbitrium est; de illa in Physica (uti nos) quomodo diceretur ens Physicum; vel in Metaphysica, propter quod dicitur ens Metaphysicum, tractare; imò in Physica de illa tractari debet, cum illi conveniat Principii Physici strictè sumpti ab

Aristotele allata, & communiter recepta, definitio.

XLVIII. Objicies fortè, allata Principiorum definitio convenit unioni; ergo si substantia sit tale Principium, erit & unio.

XLIX. Respondeo distinguendo Antecedens, convenit unioni *ut quo*, concedo Antecedens, verum ut sic est tantum principiatio: *ut quod*, prout Principio convenire debet, nego Antecedens; simile enim quid contingit in actione, quæ non dicitur causa, sed causalitas, eo quod ipsi tantum conveniat *ut quo* definitio causæ: undè, sicut actio non dicitur causa simpliciter, sed cum addito *ut quo*; ita unio non dicitur simpliciter Principium Physicum strictè sumptum, sed cum addito *ut quo*: imò sicut actio melius dicitur simpliciter causalitas, quam causa *ut quo*; ita unio melius dicitur simpliciter principiatio, quam unio actioni identificari; ac proinde, sicut hæc non potest esse Principium strictè sumptum Corporis Naturalis in facto esse, ita nec illa.

DISPUTATIO SECUNDA

De primo Principio Corporis Naturalis sive Materia prima.

DUBIUM I.

Quid sit Materia prima, & an detur.

RESOLUTIO I.

I. **D**ICO 1^o, materia (quæ non malè à matre secundum Etymon dicitur, eò quod fit formarum omnium materialium Principium, ferè ut mater prolium) definitur ab Aristotele 7^o Metaphysicorum Textu 8^o, *Materia est quæ per seipsam, neque est quid, neque quantum, neque quidpiam eorum, quibus ens determinatur. Et Textu 69^o, Materia est quedam substantia, quæ ita se habet ad formas Naturales, sicut æs, aut lignum, ad formas artificiatas. Sed aliter (quam definitionem omnes sequuntur) 1^o Physicorum cap. 9^o. Textu 82^o. Primum uniuscujusque rei subjectum, ex quo, eo quidpiam fit pacto, ut non per accidens insit. Ly subjectum, in quo convenit cum formis substantialibus respectu accidentalium, est genus definiti; ly primum, & cætera omnia, differentiæ locum obtinent.*

II. Per ly primum nempe sustentationis, educationis, &c. subjectum, juxta probanda dubio sequenti, distinguitur à composito & forma; quia hæc materiam, siue subjectum ut sic præsupponunt: sub ly uniuscujusque audire debes formæ substantialis educibilis, ne putes materiam esse subjectum sustentationis, educationis, &c. Angelorum, formarum spiritualium, &c. Ex quo eo fit pacto, ut non per accidens insit, id est, ex quo tamquam parte essentiali fit unum per se; per quod excludit substantias completas, tam spirituales, quam Materiales, ex quibus insit, non fit nisi unum per accidens, ex præmissis autem

III. Colliges, Materiam constare genere & differentia positivis; nam ly primum & cætera, quæ se tenent ex parte differentie, nihil nisi negativum importare, speculatio est eximi Domini Caramuelis Metaph. Libro 3^o. Sect. 2^a. Disp. 4^a. dicentis ly Finitum, Corporeum, Materiale, &c. nihil esse positivum; quasi verò altera Specierum oppositarum semper constitueretur per negationem differentie alterius; cur enim potius una, quam altera opposita-

rum per negationem constitueretur? ad tollendam autem vocum confusionem,

IV. Adverte per Materiam non semper significari Materiam primam jam definitam; sed interdum secundam, quæ est Materia prima informata formæ substantiali, vel Dispositionibus ad ejus productionem in Materia præviè requisitis; item & omne id, ex quo aliud artificiatum fit, quomodo lignum dicitur Materia ignis, filum Materia vestis; & de hac Materia videtur locutus Aristoteles, dum secundam Materiam definitionem Textu 69^o, supra citato attulit.

RESOLUTIO II.

V. **D**ICO 2^o, sistendo in Principiis fidei Divinæ, sive Conciliorum Lateranensis sub Leone decimo sessione octavâ, ac Viennensis Clementinâ de summa Trinitate decretis; non obscure colligitur dari substantias incompletas corpus & animam, Materiam & formam; in hac enim definitur animam non esse actum assistentem tantum, sed informantem; quid autem connaturalius informaret, quam substantiam aliquam incompletam? quæ cum sensibilis sit, & ad animam præviè, quantum experientia docet, rectè dicitur Materia prima; quod non obscure infertur ex Athanasii Symbolo, in quo Christus dicitur perfectus homo, ex anima rationali, & humana carne subsistens, ergo, &c.

VI. Confirmatur autoritate SS. Patrum, Augustini, Ambrosii, Chrysostomi, Athanasii, D. Thomæ & aliorum, qui post Aristotelem hic cap. 6^o. eas agnoverunt, eosque omnes Philosophi & Theologi unanimiter sequuntur, exceptis nonnullis recentioribus Parisiensibus, qui nuperrimè, teste Camerario p. 2. q. 1^a, oppositum Parisiis defenderunt, & ideo merito à Parlamento Parisiensis proscripti sunt, ergo, &c.

RESOLUTIO III.

VII. **D**ICO 3^o, sistendo in luminis naturæ nude Principiis, non videtur efficaciter probari de facto dari Materiam primam. Resolutio hæc,

hæc paucissimorum est, præterquam Antiquorum Parmenidis, Melissi, &c. & aliorum, qui apud Fontecam 1^o. Metaph. cap. 7. q. 8. Sect. 1^a. formas substantiales negarunt. Resolutionem tamen nostram in terminis tenet Eximius Dominus Caramuel S. Theol. Lovan. Doct. Abbas Melrosensis, Angliæ, Scotiæ, &c. Progeneralis; in suâ Philosophiâ lib. 3. Metaph. Disp. 1^a. Sect. 2^a. Lov. 1642. impressâ.

VIII. Probat 1^o, Eximius D. Caramuel loco cit. quia dici poterit omnem generationem substantialem esse transsubstantiationem totius substantiæ destructæ in genitam, ita ut nihil substantiale, vel accidentale in genito maneat, quod fuerit in corrupto: verum hæc probatio mihi difficilis est: si enim ignis, dum augetur, ita totum lignum in se transsubstantiet, ut nihil ligni retineat, quare se non auget absque ligno, vel simili pabulo? item, si homo, dum accrescit, ita totum cibum in se transsubstantiet, ut nihil cibi retineat, quare cibum sumit, ut corpus alat & augeat, & illud non auget sine alimento? deinde illa transsubstantiatio est creatio; sicut autem ad hoc, ut Deus materiam creet, non est necesse, ut prius sit materia, quam destruat; ita nec, si ignis augmentum suum creet, & homo augmentum suæ carnis, erit necesse, quod præcesserint pabulum, & alimentum, quæ destruant, ut augmentum suum creent.

IX. Probat 2^o, per transsubstantiationem totius substantiæ corrupti, manente quantitate sub aliis accidentibus, in totam substantiam geniti: verum hæc probatio mihi difficilior est præcedente: quia, præterquam quod incurrat totam difficultatem, quæ contra illam à nobis est adducta, supponere debet accidens posse naturaliter existere sine proprio subiecto (ut patet,) quo dato, non est accidens, sed substantia; quia ad summum substantia, & nequidem omnis, potest naturaliter existere sine proprio subiecto, aut migrare de subiecto in subiectum: unde tollit omne accidens, contra lumen naturæ. Quare aliter

x. Probo Resolut. si dicatur mundus fuisse ab initio simul cum tota substantia compositorum naturalium creatus, & Corpora omnia Naturalia esse substantias simplices ejusdem speciei solo accidentium aggregato differentes, & consequenter generationem ac corruptionem non esse nisi transitum de non esse istius aggregati in tali substantia, ad esse hujus in illa, ita ut anima hominis v.g. (de qua potior difficultas) nihil sit præter bene ordinatum accidentium nobilium aggregatum, & generatio hominis productio illius aggregati ex præjacente dicta substantia simplici completa (& sic de aliis), non facile convinci poterit dari materiam primam; sed sistendo in solis luminis naturæ nudæ Principiis id dici potest, ergo, &c. probatur minor solutione argumentorum.

XI. Nec difficultatem facit, quod illa substantia simplex & completa (ut pote unius speciei in omnibus, non secus ac in communi sententia materia prima) non potius exigeret hæc, quam alia accidentia, videamus tamen ignem ad pristinum calorem, aquam ad pristinum frigus post amissionem, se reducere, cujus non potest esse causa aliud simile agens, cum sæpe absit, sed debeat esse pars aliqua substantialis ipsius, quæ vocetur forma substantialis: nam facile Respondetur, ignem in vacuo, non se reduciturum ad calorem pristinum, & idem est de aqua; ac proinde jam in pleno ignem, aquam, &c.

non nisi reduci ad pristinum statum per agentia circumstantia similis qualitatis productiva. Tamen

XII. Objicies 1^o, Adversariorum Achillem; mutationes & alterationes, quas indices cernimus, in quibus necessarium est, ut maneat commune aliquod subiectum substantiale, quod mutetur, & transeat de non esse tali ad esse tale, convincunt dari materiam primam, sive primum subiectum substantiale, ergo, &c.

XIII. Confirmatur, cum corpora sanctorum comburuntur, & in ignem ac cineres convertuntur, aliquid ex ipsis remanet, quod merito Ecclesia veneratur & colit, ergo, &c.

XIV. Responderet aliquis 1^o cum Gomezio (quem nonnulli medici sequuntur) id, quod remanet, esse quatuor elementa secundum substantiam, sic nempe, ut mutationes illæ non sint, nisi secundum elementorum accidentia.

XV. Sed contra est, quod elementa non maneat formaliter in mixto, ut dicturi sumus in fine Librorum de generatione; & reverâ, quis evidenti experientiæ non repugnabit, si dicat in marmore per densissimum gelu frigidissimo esse formam ignis, calorem, &c. & non sentiri? vel etiam in pulvere tormentario esse formam ignis, & calorem, & tamen non accendi? Addunt alii, elementa in invicem quoad substantiam converti, sed si in sola ratione sistatur, non puto efficaciter probandum; idque ipsum est, quod negat Gomezius.

XVI. Responderet alius 2^o, ex opposito; omnem mutationem illam esse transsubstantiationem, remanentibus tantum nonnullis accidentibus.

Sed contra, id longè absurdius est, quàm id, quod statim responsum est; quia naturaliter migrare non possunt accidentia illa de subiecto in subiectum, nec transsubstantiando annihilare terminum à quo, & terminum ad quem creare, quorum utrumque fieret. Quare aliter

XVII. Resp. negando assumptum, quia ad illas mutationes verificandas satis est, si subsit substantia simplex completa, ut in Resolutione dictum est.

Ad Consumationem autem

XVIII. Respondeo similiter illam substantiam remanere, à nobis venerari & coli in sanctorum reliquiis: neque etiam huic substantiæ repugnant diversa nomina, quibus materia ab antiquioribus soluit appellari, quæ recenset & bene interpretatur P. Comptonus Physic. Disp. 3^a. Sect. 2^a. inquit, materia ergo subinde vocatur *Chaos & tenebræ*, quod numquam cernatur, nec appareat: aliquando *umbræ & nihil*, quod scilicet tam tenuis sit entitatis, ut cum non entibus potius, quàm entibus affinitatem habere videatur: nonnunquam *Luna*, ob formarum, quas per intervalla mutat, varietatem, quodq; alienâ quasi luce ac fulgore splendeat: nunc *hylæ*; nunc *mater & nature nutritrix*, quod res scilicet prope omnes ex se gignat, ac procreet: nunc è contra *No-verca* vocatur, *adultera & venefica*, quod, quas in se recipit formas, atque ad tempus fovet, repente, fraudulenter quasi, enecat ac interimat. Quomodo suo quisque arbitrato novum ei nomen appingit. Plato enim inter alia, quæ ipsi tribuit nomina, eam *Divinitatis* vocat *dissimilitudinem*, quod à Deo ente omnium perfectissimo, ens omnium prope imperfectissimum longissimè distet; quâ etiam de causâ eam appellavit *non ens*: & tandem nuncupat *magnum & parvum*; *magnum*, quod omnia in se recipere, & quasi complecti, possit; *parvum*, quod,

Iro

Iro pauperior, ex se nihil habeat, omnemque, quem habet ornatum, aliunde emendicet, quæ proinde si in sua specie & forma cerni posset, non minorem moveret risum, quam olim *cornicula furtivis nudata coloribus*. Hæc sunt argumenta, quæ apud alios reperio: nihilominus tamè occurrit mihi alia ratio, qua sententiam communem propugnem. Quare, sit

RESOLUTIO IV.

XIX. **D**ico 4^o, etiam sistendo in luminis naturæ nudæ Principiis, efficaciter probari potest de facto dari materiam primam. Ita ferè omnes, tam Antiquiores post Pythagoram, qui 1^o videtur materiæ & formæ substantialis inter se distinctionem observasse, ut notat D. Caramuel loco Resolut. 3^a, cit. quàm Recentiores.

XX. Prob. quia sicut per te sistendo in luminis naturæ nudæ Principiis efficaciter probari non potest de facto dari materiam primam, ita etiam in eisdem sistendo efficaciter probari non potest, accidentia materialia, quæ de facto dantur, non esse formas substantiales, etiam totales, (præsertim cum plures, ut infra docebimus, possint naturaliter simul in eadè materia consistere) ac proinde sistendo in Principiis istius luminis naturæ nudæ, ut minus, dubium est, an illa sint formæ substantiales totales, quæ materiam primam de facto præsupponant; an accidentia, quæ per te Resolutione 3^a materiam primam de facto non præsupponant, sed corpus simplex: at qui in dubiis iudicium commune est præferendum privato, nisi quidpiam aliunde obstet; sicut in dubiis bonum commune est præferendum bono privato, &c. ergo, sistendo in Principiis istis, materia prima de facto datur: probatur consequentia, quia nostra ratio in illis sistit, & iudicium commune est, quòd de facto datur.

DUBIUM II.

An Materia prima sit subjectum sustentationis & informationis positivè primum.

Antè Resolutionem
XXI. **S**uppono 1^o, ly *primum* posse dupliciter accipi: positivè scilicet, ita ut non admittat coæquale & æquè primū; & negativè, ita ut prius quidè nō admittat, coæquale tamen & æquè 1^{um} patiatur.

XXII. **S**uppono 2^o, dubium procedere ex hypothefi, quòd materia prima sit basis & fundamentum cæterorum in composito substantiali, quòd examinabitur infra. Disp. 4^a.

XXIII. **S**uppono 3^o, subjectum esse multiplex, sustentationis & inhætionis, &c. Subjectum sustentationis generaliter est subjectum eductionis formæ, sive substantialis, sive accidentalis; & dependentiæ illius à subjecto in primo esse & conservari, specialiter verò, & ut opponitur subjecto inhætionis, informationis & adhætionis, est subjectum formæ substantialis eductæ & ex se dependentis in primo esse, & conservari ab illo tamquam subjecto.

XXIV. Subjectum inhætionis generaliter rectè confunditur cum subjecto sustentationis generaliter; quia sicut tam substantia, quàm accidens hæret *ad*, sive *adheret* alteri tamquam subjecto adhætionis; ita tam forma substantialis, quàm accidentalis hæret *in*, sive *inheret* alteri tamquam subjecto inhætionis: specialiter verò, ut opponitur subjecto sustentationis & informationis est subjectum formæ accidentalis eductæ, & dependentis in primo esse; & conservari ab illo tamquam subjecto.

XXV. Subjectum informationis generaliter est omne illud, quod ab alio denominationem aliquam accipit: specialiter verò, & ut opponitur subjecto sustentationis, inhætionis, &c. est illud, quod denominationem accipit à forma ex se non educta, nec à se in primo esse, aut conservari per se à subjecto dependente.

XXVI. Subjectum verò adhætionis generaliter est omne illud, cui alterum unitur sive per modum formæ, sive per modum termini intrinseci; quia tam illa, quàm hic hæret *ad*, ut ita im vidimus. Specialiter verò, & ut opponitur subjectis illis, sustentationis, inhætionis, informationis, &c. est illud, quod unitur alteri, & non per modum subjecti sustentationis, inhætionis, & informationis illius specialiter sumpti, sed sic, ut ab unione quidem cum illo separari possit, sed illud alterum ab hoc, utpote termino intrinseco illius, separari non possit. Res tota explicatur in unione Hypostatica respectu Verbi, in eductione respectu formæ, & cuiusvis actionis respectu effectus. Unione enim illius subjectum adhætionis, uti & terminus intrinsecus, est Verbum, quod non est subjectum sustentationis, inhætionis, aut informationis illius, ut supra vidimus; potest tamen ab ipso separari, ipsa autem à Verbo neutiquam. His suppositis ad dubium (quod mihi difficilius, quàm ut, vel sine examine, cum omnibus ferè, illud affirmativè resolvam, vel examen illius superfluum cum illis reputem, eò quòd id esse de essentia materiæ male vident) sit

RESOLUTIO I.

XXVII. **D**ico 1^o, materia non est subjectum adhætionis positivè primum omnium formarum, quibus adhæret. Probat, quia non est prior creatione respectu cuius est adhætionis subjectum, ex præmissis supposito secundo, ergo, &c.

RESOLUTIO II.

XXVIII. **D**ico 2^o, Materia prima (si subsistentia Basis non sit, de quo Disp. 4^a) est subjectum sustentationis positivè primum earum formarum quæ speciali sustentatione, juxta dicta supposito 1^o, sustentantur.

Probat 1^o, ex definitione illius ab Aristotele supra allata, quæ ut minimum convincit materiam primam esse subjectum sustentationis dictarum formarum positivè primum, ergo, &c.

XXIX. Probat 2^o, ratione, unum datur subjectum sustentationis positivè primum; ut constat, tum ex eo, quòd subjectum sustentationis & forma sustentata non possint esse simul naturà, tum quia sequeretur alioqui processus in infinitum; nam in generatione illud subjectum præsupponeret aliud, & illud aliud, & sic in infinitum; sed suppositis Principiis fidei, & rationibus ex illa deductis, illud non est forma sive entitas formæ; ergo materia prima. Probat 3^o, quia subjectum primum creatur, & est ingenerabile & incorruptibile, alioqui primum nō esset, sed aliud præsupponeret, ex quo præjacente fieret, & quo remanente desineret; item subjectum primum transit de composito in compositum, non secus ac illa substantia simplex & completa, de qua Dub. 1^o Res. 3^a, siquidè est subjectum generationis ut mutationis; sed hæc formæ non conveniunt, quia forma ignis generatur ex ligno, & est corruptibilis, nec migrat de composito in compositum; quis enim experitur manere formam, aut accidentia ignis, quamdiu manent cineres? & sic de aliis, ergo, &c.

RESOLUTIO III.

xxx. **D**ico 3^o, Materia prima non est subiectum informationis positivè primum eorum, quæ ipsam informant.

xxxI. Probatur 1^o, quia ipsa informat formam à qua informatur; sed non est subiectum informationis positivè primum respectu sui-ipsius, ergo, &c. minor patet; consequentia est legitima: probatur major, quia sicut rectè dicitur materia est informatà, potentia est actuata; ita rectè dicitur forma est materietata, actus est potentatus; quis enim rationem disparitatis assignabit, aut impedimentum, præter purum Adversariorum beneplacitum? ergo, &c.

xxxII. Probatur 2^o, sicut materia & forma, potentia & actus sunt correlativa, & simul naturà; ita materiam esse informatam & formam esse materietatam; potentiam esse actuatam & actum esse potentiatum; sunt correlativa & simul naturà. quod

xxxIII. Confirmo, quia sicut sunt simul naturà, formam esse unitam materiæ, & materiam esse unitam formæ; ita sunt simul naturà formam esse materietatam, & materiam esse informatam, quia reipsa sunt eadem, ergo, &c. Ex eo autem

xxxIV. Infero, ergo si materia, quia primò informatà à forma, dicatur subiectum primum informationis, dicetur & forma primum subiectum informationis, quia primò negativè, sive simul naturà, est materietata à materia; ergo materia prima non est subiectum informationis positivè primum, sed alterum comprimum admittit, videlicet formam.

xxxv. Confirmatur Resol. nihil adferri potest, cur sicut materia dicitur informatà à forma; non dicatur è converso forma materietata à materia, nisi fortè communis omnium contrarius loquendi modus (quia quòd P. Comptonus Disp. 4^a. Sect. 2^a. dicit à posteriori ob stare, quòd semper videamus formas denominare, & subiecta denominari, nimis à posteriori est, nam quòd quærimus, est, an id videamus) sed hic non quærimus, quid communis loquedi modus habeat, sed an verus, & quid reipsa sit subiectum informationis positivè primum, ergo, &c.

xxxvi. Objicies 1^o, Materia prima est subiectum sustentationis formarum materialium positivè primum; ergo & informationis earundem; consequentia tenet à pari.

xxxvii. Confirmabis ex Arriaga hic Disp. 2^a. n. 23. illud quod in esse præsupponitur alteri, est subiectum informationis illius; sed materia prima in esse præsupponitur formæ; ergo, &c.

xxxviii. Respondeo imprimis, istud Argumentum non ostendere formas spirituales non esse comprimum subiectum informationis; ac proinde, nec ostendere materiam primam esse subiectum informationis omnium formarum positivè primū.

xxxix. Resp. 2^o, negando consequentiam, & adfero disparitatem; videlicet, quia non sunt simul naturà, formam esse sustentatam à materia, & materiam esse sustentatam à forma; siquidem materia, utpote naturaliter ingenerabilis & primum subiectū sustentationis, nequit à forma sustentari; formam autem esse informatam à materia, & materiam esse informatam à forma, sunt simul naturà.

Ad Confirmationem verò

xl. Respondeo imprimis, non omne illud, quod in esse præsupponitur alteri, esse subiectum informationis illius; aliàs creatio esset subiectum informationis materiæ primæ, & Dispositiones præviæ ad introductionem animæ in corpus, essent subiectum informationis illius, quod nullus admiserit.

xli. Resp. 2^o, distinguendo majorem, illud quod præsupponitur alteri ut subiectum sustentationis, uti materia præsupponitur ad omnes formas materiales; vel ut conditio sine qua non aliud crearetur, uti materia disposita ad creationem animæ rationalis præsupponitur, est subiectum informationis illius negativè primum, concedo majorem: positivè primum, nego majorem; quia in esse subiecti informationis sunt simul naturà, ut ante probatum est; fit enim, ut è duobus, quæ per modum potentia & actus inter se uniuntur, illud quod se habet per modum potentia, in genere subiecti sustentationis se habeat antecedenter & præviè ad aliud, quod se habet per modum actus, & ei supervenit; & tamen utriusque in genere subiecti informationis sunt simul naturà, ut contendimus: nec plus exigit ratio subiecti informationis, ut fundamenta præsentis Resolutionis consideranti patebit; ad quæ non satis videtur attendisse P. Arriaga: sic enim stat unum alteri uno sensu præsupponi, & alterum alio sensu esse subiectum informationis illius, ac proinde etiam illud, quod alteri in esse non præsupponitur, esse subiectum informationis alterius, per quod totum fundamentum P. Arriagæ enervatur.

xlii. Objicies 2^o, ex conclusione sequitur, subiectum & formam simul naturà se mutuo informare ac denominare; sed hoc est absurdum, ergo, &c. Prob. minor, quia inde sequeretur gratiam dici animatā, sicut anima dicitur grata; albedinè dici carneā, sicut caro dicitur alba; visionem dici auream, sicut aurum dicitur visum; sed illa sunt absurda; ergo, &c.

xliii. Resp. concessa sequelâ, negando minorè; ad ejus probationem distinguo sequelam, sequeretur gratiā secundum se & ex conceptu suo formalitè dici animatam, in quo esset absurdum, nego sequelam; secundum denominationè à subiecto, cui uniretur, & secundum conceptum accidentalem, quod non est absurdum, concedo sequelam: numquid enim æquè gratia est proportionata (& sic de aliis) ut denominativè & accidentaliter dicatur animata propter unionem ad animā, ac materia est proportionata ut denominativè & accidentaliter dicatur animata animā rationali propter unionem ad animam rationalem? ita sanè; & ratio est, quia ubi est proportio ad unionem per modum actus & potentia, est proportio ad reciproca denominationè; quia formā uniri materiæ, & materiā uniri formæ, sunt simul naturà; ita autè uniri, est denominare & denominari; vel assignetur mihi ratio cur tūc sit proportio ad denominare subiectū, & non ad denominari à subiecto, sive, ne ludas in verbo, cur subiectū denominationis seu informationis, nō sit simul naturà forma denominans seu informans formā à qua denominatur seu informatur; quandoquidè propter unionè præcisè per modum actus & potentia, & subiectum sit denominationis seu informationis subiectum, & forma sit forma illud denominans seu informans: scio quidem P. Compt. hic Disp. 4^a. Sect. 2^a. respondere istius nullā esse rationè à priori; à posteriori verò optimā tradi à signo, quod id semper contingere videamus; sed præterquā quòd nos pro opposito rationè quasi à priori dederimus, & falsū sit nos videre aliud contingere, præmissa convincūt id nunquam contingere, ad quæ nil responderet.

xliv. Instabis 1^o, sic determinari non poterit, quænam erunt compositiones per modum actus & potentia, quia quilibet actus erit potentia, & quilibet potentia erit actus; sed hoc est absurdum, ergo, &c.

xlv. Resp. negando assumptum, quia illæ erunt

com-

compositiones ex actu & potentia, in quibus unum se habebit ut denominatum, aliud ut forma denominans, quod totum in nostra Resol. & ad præcedens argumentum solutione, remanet; & solum ex illa sequitur in qualibet compositione per modum actus & potentia, uno respectu denominatum sive potentiam fore formam denominantem sive actum; & alio respectu formam denominantem sive actum fore denominatum sive potentiam; quod putamus omnino necessarium: quando tamen petitur simpliciter potentia, adferri debet illud, quod ex natura sua est subiectum sustentationis; quando forma, id quod est actus, & ex natura sua non est subiectum sustentationis illius, cuius est actus; ut sic vitetur confusio terminorum.

XLVI. Instabis 2^o, saltem sequeretur ubi esse substantiam; sed hoc est absurdum, ergo, &c. Probat sequela, quia sicut ubi substantia substantiam denominat ubi actum, ita ab illa denominatur substantia, quod est proprium substantia ex probatis in Logica Tract. 5^o. Disp. 1^a. ergo, &c.

XLVII. Resp. negando sequelam, quia illud tantum est substantia quod ex genere suo exigit denominari substantiam; sive quod in genere entis in quo reponitur, est ut quo, vel ut quod substantiam, quod accidens non convenit, ut ibidem monstratum est.

XLVIII. Objicies 3^o, ex Aristotele lib. 1^o. Phys. materia est pura potentia; ergo non est actus respectu formæ ut potentia sive subiecti.

XLIX. Resp. negando consequentiam; quia Aristoteles, per hoc, quod dicat materiam primam esse puram potentiam, solum vult illam esse Physicè simplicem, & incompositam ex ulteriori materia & forma, ne detur processus in infinitum in materia, qui alioquin daretur, ut constat ex dictis Resol. 2^a, unde solum vult materiam primam esse puram potentiam sustentationis; id est, ita alia sustentare, ut ab alio subiecto non sustentetur, aut formam, quæ ab alio subiecto sustentetur, in suo conceptu essentiali includat; alioquin non ipsa, sed subiectum ipsius formæ simplex & incompositum esset materia prima; ut consideranti patebit: non vult autem Aristoteles illam esse puram potentiam informationis, id est, ita informari, ut aliud non informet; quia ipsius scopus est adferre primum subiectum sustentationis, ut manifestè constat, tum ex Textu, tum ex definitione materia primæ, quam attulit; non verò informationis.

L. Objicies 4^o, forma est Principium Corporis Naturalis; ergo materia non est forma informans formam à qua informatur: probatur consequentia, quia sic Principia ex se invicem fierent; siquidem forma fieret ex materia in genere causæ formalis, à qua materia etiã fit in genere causæ formalis, ergo, &c.

LI. Resp. negando consequentiam; ad ejus probationem, nego assumptum; ad cuius etiam probationem distinguo assumptum, fierent ex materia in genere causæ formalis, tamquam ex proprio genere principiandi, nego assumptum, tamquam ex genere principiandi communi omnibus subiectis & formis, concedo assumptum; sed hoc non impedit rationem Principii, quia alioquin, cum id omne Principium inseparabiliter concomitetur, sola forma esset Principium, ut consideranti patebit.

D V B I V M I I I.

An, & quo sensu, Materia 1^a sit pura potentia,

LII. **M**ateria 1^a est puram potentiam receptivissimum est inier Thomistas, aliofque Philosophos; sed de sensu, quo id ipsi compe-

tit, multum controvertitur: quare pro illius Resol.

LIII. Suppono 1^o. potentiam à Philosophis triplicem distingui; Activam scilicet, Subjectivam & Objectivam; lingulisq; actum aliquem in particulari esse oppositum: Activa autem est virtus producendi effectum; actus huic potentia oppositus est actio, sive actus causativus: Passiva sive Subjectiva, aut Receptiva est capacitas, quæ res habet, ut sit subiectum recipiens aliquam formam; actus huic potentia oppositus est forma, sive actus formalis: Objectiva est possibilitas rei, sive ejus ad existendum non repugnantia; actus huic potentia oppositus est existentia, sive actus entitativus.

LIV. Suppono 2^o. puram potentiam esse, quæ sic est potentia, ut nullo modo actum sibi oppositum includat, prout solet includi in potentiis non puris: unde potentia purè Activa est, quæ nec est, nec includit actionem: purè Passiva, quæ nec est, nec includit formam informantem: purè Objectiva, quæ propriam existentiam non habet.

LV. Suppono 3^o. puram potentiam passivam esse duplicem; sustentationis scilicet, & informationis; potentia pura passiva sustentationis est, quæ nec est, nec includit in suo conceptu formam sustentatam in alio tamquam subiecto recipiente: pura passiva verò informationis est, quæ nec est, nec includit in suo conceptu formam informantem aliud, tamquam subiectum denominationis. His suppositis, sit

R E S O L U T I O I.

LVI. **D**ico 1^o, Materia prima est pura potentia passiva sustentationis. Ita D. Thom. 1. p. q. 66. art. 1^o, & celebres Thomistæ, Capreolus, Ferrar. Cajet. Soncin. Sotus, PP. Nostri Compl. Ioan. à S. Thom. & à Societate Suarez, Comimb. & alii communiter, quibus additipulatur P. N. Bacho Quodlib. lib. 2^o. q. 9. art. 2^o. §. 2^o.

Probat Resolutio; quia illud ut minimum vult Aristoteles, cum hic materiam primam appellat purum subiectum, puram potentiam passivam, &c. ergo, &c.

LVII. Confir. materia ita sustentat alia, ut nec sit, nec includat formam ab alio tamquam subiecto sustentationis sustentatam; sed hoc est esse puram potentiam passivam sustentationis, ergo, &c. minor patet à definitione; probatur major; quia alioquin, ut sæpe dictum est, sequeretur processus in infinitum: vel enim illud subiectum, in quo ipsa, vel forma, quam includeret, sustentaretur, esset, vel includeret formam ab alio tamquam subiecto sustentationis sustentatam, vel non? si primum, idem quaeretur de hoc subiecto, & sic in infinitum: si secundum, ergo illud erit materia prima, & pura potentia passiva sustentationis. Hic tamen (nota) supponitur substantiam non esse basim, de qua infra Disp. 4. de Substantia.

R E S O L U T I O II.

LVIII. **D**ico 2^o, Materia prima non est pura potentia passiva informationis. Hæc Resolutio sequitur ex Resol. 3^a Dubii præcedentis; quæ licet nullius sit, (quem sciam) mihi tamen valde probabilis est.

Probat, quia Materia prima, ita est subiectum sive potentia passiva informationis, ut simul natura sit actus, & forma informans formam à qua informatur, ut constat ex Dubio præcedenti, ergo, &c.

LIX. Confirmatur, esse materietatum est esse actuum, vel informatum à materia; sed formæ plurimæ sunt materietata; imò P. Hurtadus hic expressè dicit albedinem per unionem ad parietem esse parietatam;

tam; ergo materia prima non est pura potentia passiva informationis, sed actus, sive forma informans. Probatur major, quia si esse materietatum, non esset esse actuum, vel informatum à materia, neque esse animatum esset esse actuum, vel informatum ab anima; sed hoc non admittitur, ergo, &c. Probatur assumptum, quia utrumque eodem modo terminat unionem; ac proinde eodem modo utrumque denominationem & effectum formalem sibi proprium communicat, ergo, &c.

LX. Dices forte, materiam & formam non eodem modo terminare unionem; sed materiam per modum potentiae; animam verò per modum actus.

LXI. Sed contra, cum dico *anima est materietata, sive unita materia*, anima non habet se per modum actus; quia subicitur & denominatur; vel si illud, quod subicitur & denominatur, possit se habere per modum actus, dic mihi cur materia non ita se habeat, cum subicitur & denominatur animata?

LXII. Respondebis forte animam, quae subicitur, tantum se habere per modum actus, quando informat & denominat; quando verò subicitur & denominatur, se habere per modum subjecti rectè quidem respondes, & ad intentum nostrum; sed rogo, cur idem non dicis de materia prima?

LXIII. Replicabis, quia sequeretur quòd in eodem composito partes essent sibi invicem potentiae subjectivae informationis, & actus informationis, quod est absurdum.

LXIV. Respondeo hoc totum à nobis sine absurdo admissum, & probatum Dubio 2^o. Resolutione 2^o. & addo, id necessariò ab omnibus admittendum in *ubi* & *ejus productione*; numquid enim ab illa productione denominatur ubi productum: & illa productio ab ubi denominatur ubicata? quidni & in aliis idem admitti posset?

RESOLUTIO III.

LXV. **D**ico 3^o. materia prima non est pura potentia objectiva, id est, includit existentiam, sive actum entitativum sibi proprium; non quidem Physicum, & à se realiter distinctum, sed Metaphysicum, & à se solà ratione distinctum. 1^a. pars quoad *Physicum* est omnium Thomistarum & juxta Resolutionem 1^{am}: 2^a verò quoad *Metaphysicum*. Halensis 7. Metap. ad textum 22. Gregor. in 2. dist. 6. q. 1. Aureoli apud Capreolum in 1^{um} dist. 8. q. 1. Durandi ibidem q. 2. Gabrielis in 3^{um} dist. 6. & Nominalium còmuniter; quos sequuntur Gerardus de Carmelo, Suarez, Vasquez, Arrubal, Valentia, Hurtadus, Arriag, Oviedus, &c. ad stipulantur etiam Scotistae, cum hoc tamen discrimine, quòd illi existentiam à materia solà ratione distinctam agnoscant, hi formalem ex natura rei.

LXVI. Probatur 1^o. ex Commentatore 3^o. de Caelo commento 29. *quod recipit, debet esse ens actuale*, id est, *existens*; sed materia recipit omnes formas; ergo est ens existens, idque existentia propria; ac proinde non est pura potentia objectiva: Probatur major, quia quod recipit, ut condistinctum à forma; quam recipit, non est actu nihil; quia alioqui forma esset tota actualitas compositi substantialis; in composito substantiali sola forma esset aliquid actu; homo non esset actu, nisi quidpiam incompletum; non esset actu nisi quidpiam purè spirituale, &c. imò denique homo non esset in facto esse, purum ens actu, sed partim ens, partim non ens, quae sunt absurda; ergo materia, quae formas recipit de-

R. P. Francisci Bone Spei Physica

bet esse ens existens, idque existentia propria.

LXVII. Nec dicas ex Magistro nostro Bachon. Quodlib. lib. 2^o. q. 9. art. 2^o. §. 3^o. unumquodque recipit secundum, quod est in potentia; quia id tantum verum est de receptione formae realiter distinctae, sic nempe, ut omne quod realiter formam realiter à se distinctam recipit, istam formam realiter non includat, sed sit in potentia ad illam, juxta 1^{am} partem nostrae Resolutionis, pro qua à nobis citatus est Resol. 1^a. verum autem non est sic, quòd omne quod realiter formam realiter à se distinctam recipit, nullam existentiam Metaphysicam & realiter à se indistinctam includat, ut patet ex probatione Resol.

LXVIII. Nec Instes, ens actuale, sive existentiam formae, recipi quidem in materia non existentem antecedenter, sed illam facere concomitanter existentem; sic enim albedo in pariete quidem antecedenter non albo recipitur, illum tamen facit concomitanter album; ex quo inferes, probationem assumpti esse falsam: ne id dicas, inquam; quia sicut existentia est conditio praequisita ad agendum quodlibet realiter à se distinctum; ita & ad patiendum quodlibet realiter à se distinctum; quia eadem est ratio passionis & actionis; ac proinde, sicut dari non potest actio effectus realiter distincti à causa non existente, vel saltem quae numquam existit, ita nec potest dari passio formae realiter distinctae à subjecto non existente, vel quod saltem numquam existit.

LXIX. Nec urgeas subjectum constitui realiter existens per existentiam; ac proinde sicut optimè intelligitur parietem de non albo fieri album per albedinem, quam ante non habebat; quia per illam constituitur realiter albus; ita optimè intelligi materiam non existentem fieri existentem per existentiam, quam ante non habebat, quia similiter per illam constituitur realiter existens.

LXX. Respondeo esse disparitatem, eò quòd materia non possit habere existentiam realiter distinctam nisi medià passione, quae haberi non potest à subjecto, quod hic per te non praesupponitur existens: potest autè paries non albus habere albedinem realiter à se distinctam; quia medià passio, per quam illam habet, praesupponit parietem existentem; quod tantum requiritur, ut illam recipiat. unde patet probationem 1^{am} esse solidam, materiamque primam, priusquam ullam formam realiter à se distinctam recipiat, necessariò debere supponi aliunde realiter existentem, nec proinde posse sine evidenti superfluitate actuari per existentiam formae realiter distinctam, Ex his

LXXI. Colliges contra PP. nostros Complut. hic. ordinem essentiae nullà ratione distingui posse ab ordine existentiae: item contra P. Ioan. à S. Thoma, existentiam hoc sensu non posse esse actum secundum, quod praesupponat formam Physicam, licet dici possit secundus, quia *non essentialis*, quod non dicit realem distinctionem ab essentia; ut proprietates Metaphysicas consideranti patebit.

LXXII. Probatur 2^o. omnes formae materiales educuntur ex materia; sed non educuntur ex nihilo, aliàs dici deberent creati; ergo materia est ens actuale, existens, non pura potentia objectiva, &c. consequentia patet, quia inter ens actuale, sive existens, & nihil ante intellectum, non datur medium.

LXXIII. Nec dicas ex his solum sequi materiam habere essentiam distinctam à forma, sive esse ens reale distinctum à forma, non verò habere essentiam

B

actualem,

actuale, sive esse ens actuale distinctum à forma, sed potentiale tantum: ne id, inquam, dicas; quia in primis ostendimus dubio præcedenti materiam etiam esse actum informationis, licet non sit sustentationis, defectu subjecti, in quo sustentetur: jam verò probavimus illam includere actum entitativum, sive existentiam; quod per illud, quod dicis, non reprobas: deinde quæro à te distinctionem inter ens reale, ens actu, & ens realiter existens: certè si hæc omnia sumantur ut ante intellectum, quomodo hic sumi debent, nihil momenti adferes, spero, quo hæc sumpta ante intellectum distinguas.

LXXIV. Nec refert, quòd Aristoteles 9. Metaph. textu 1.º. dividat entitatem realem in potentiam & actum; quia ibi actum non opponit potentiam objectivam, sed potentiam subjectivam sustentationis, cujus potissimam curam habuit, eò quòd sola generationibus ut mutationibus inserviret; unde per actum ibi intelligit actum sustentationis, sive formam substantialem; per potentiam verò, potentiam subjectivam sustentationis; nec potuit aliud intelligere; alioqui, cum omnis entitas realis ante intellectum sit actus, saltem entitativus (nam ille, sive existentia, non distinguitur realiter ab essentia, ut ostendemus in Metaphysica) divisum includeretur in suis membris dividendis, essetque vitiosa divisio.

LXXV. Probatur 3.º. actio terminatur ad existentiam; sed diversam actionem terminat materia prima, scilicet creationem; diversam forma materialis, scilicet generationem; ergò materia prima habet existentiam distinctam à forma, & consequenter non est pura potentia objectiva: Probatur major primò, quia non terminatur ad nihil; res verò præcisè realiter existentia, utpotè realiter præcisè negatio existentia, est nihil; secundò, quia cum existentia sit realiter ipsa essentia, (ut probavimus in Metaphysica) non apparet ad quid aliud terminari possit; ergò, &c.

LXXVI. Objicies tamen 1.º. Aristot. nusquàm docet materiam primam esse actum entitativum; ergò, &c.

LXXVII. Respondeo distinguendo antecedens: Aristoteles nusquam docet explicite, & quoad vocem, materiam primam esse actum entitativum, concedo antecedens; implicite, & quoad rem, nego antecedens; hoc enim ipso, quòd docet materiam primam esse principium Physicum, potentiam subjectivam, non esse non ens, sed ad rationem substantia propius accedere, &c. consequenter docet esse actum entitativum, imò & informationis, ut Resol. 2.ª. vidimus; si verò quandoque dicat *materiam primam non esse ens, in nullo Prædicamento poni, &c.* (ut v.g. Metaphysic. 7.º. textu 8.º.) *quia per se, neque est quid, neque quantum, neque quale.* Solum vult non esse ens completum, quod solum ponitur in prædicamento, & quod solum etiam intelligitur nomine entis simpliciter pronuntiat: eodem modo intelliges D. Thomam, cum r. p. q. 7. art. 2.º. dicit *materiam primam non esse ens actu, sed potentia tantum;* item & Porphyrium, cum post Platonem docet, *materiam primam esse verum non ens, & defectum entis;* nisi malis eos ita intelligere, ut velint materiam, ut sub privatione esse non ens, licet in se & secundum se spectata sit ens: cum verò alii dicunt *illam nullius esse speciei,* putabis, *speciei* quam accipit à forma Physicæ; alioqui certum est esse alicujus speciei Metaphysicæ incompletæ & indirectè prædicamentalis.

LXXVIII. Instabis; forma dat esse rei; ergò materia nequidem ut in se, & secundum se spectata, est existens, sive ens actu.

LXXIX. Respondeo negando consequentiam; quia in primis Resol. 2.ª. diximus materiam primam, tam esse formam informationis, quam sit entitas illa, quam vocas formam, licet non sit sustentationis: deinde forma non dat esse rei subjectivum, potentiale & entitativum his proportionatum; sed formale, completivum in esse naturæ, & entitativum his proportionatum; quod ultrò concedimus haberi à forma; sed aliud præterea ad realem constitutionem rei corporeæ completæ requiri asserimus, videlicet existentiam propriam ab existentia formæ realiter distinctam.

LXXX. Objicies 2.º. ex Magistro nostro Bachone in 2.º. Sent. distinct. 12. quæstione 1.ª. art. 2.º. in primo actu, videlicet Deo, nulla est potentia; ergò in prima potentia, ut materia prima, nulla est actualitas.

LXXXI. Respondeo 1.º. concedi posse totum, si hæc proportionaliter intelligantur, hoc modo: sicut ut in primo actu nulla est potentia realiter distincta, ita in prima potentia nulla est actualitas, puta existentia, realiter distincta; sed cum hoc fiat in prima potentia, esse actum entitativum realiter ab ea indistinctum, sicut in primo actu est potentia ad attributa, & relationes ab eo realiter indistinctas, quod unicum contendimus.

LXXXII. Respondeo 2.º, negando consequentiam, quia disparitas est: siquidem primus actus sensu dato, non implicat magis, quam ens perfectum in omni genere entis; implicat verò dari primam potentiam ita puram, ut actum entitativum, sive existentiam, non includat: quia illa esset ens reale à parte rei existens, ut supponitur; & non esset, quia non haberet existentiam, quæ est de conditionibus necessariis entis realis à parte rei sive realiter patientis, uti est de conditionibus, &c. realiter agentis.

LXXXIII. Objicies 3.º. ex R. P. Ioan. à S. Thoma, juxta Aristotelem hic eodem modo se habet materia prima ad formas materiales, quo materia secunda, sive artificiatum ad artificiales: atqui hæc in priori formæ artificialis nullam habet existentiam artificialem; ergò neque illa naturalem existentiam habet in priori formæ naturalis.

LXXXIV. Responderet aliquis facile in sententia objicentis, quæ docet materiam privatam quantitate molis esse entitativè quantam; similiter materiam secundam in priori formæ artificialis habere existentiam entitativè artificialem, sic ut hæc illi identificetur, eo modo, quo quantitatem entitativam vult materiam identificari; unde rectè concluderetur intentum nostrum, videlicet materiam primam in priori omnis existentia realiter à se distincta habere existentiam entitativam, sic illi identificatam, quomodo vult quantitatem entitativam, & existentiam entitativè artificialem materiam identificari; sed tales formas entitativas à formalibus realiter distinctas, satis rejecimus in Logica Tract. 5.º. Prædicam. Disp. 2.ª. Quare aliter

LXXXV. Respondeo juxta Aristotelem, modè istius ad formas se habendi identitatem, in eo sitam non esse, quòd sicut materia 2.ª in priori formæ artificialis, nullam habet existentiam artificialem, sed in eo, quòd materia 1.ª sit potentia perfectibilis per formas materiales, ut condistinguantur contra entitativam sive existentiam; sicuti materia

materia 2^a. per artificiales: unde nego consequentiam, & assigno disparitatem, in eo videlicet, quòd, quia ad recipiendas formas artificiales sufficit materiam realiter existere, uti reverà realiter existit materia 2^a. in priori formæ artificialis, non debeat materia 2^a. in priori formæ artificialis habere aliquam existentiam artificialem; è contra verò, quia ad recipiendam existentiam aut similem formam realiter à se distinctam, non sufficit materiam realiter non existere existentia propriâ, uti reverà realiter non existit in priori existentia suâ propriâ, debet materia prima in priori existentia realiter à se distinctæ, habere existentiam aliquam propriam.

QVÆSTIVNCVLA.

Quid senserit D. Thomas circa quæstionem, an materia prima ex se sit ita pura potentia, quòd careat omni actu formali & entitativo.

LXXXVI. Resolvunt Thomistæ, ut PP. nostri Complut. & Ioan. à S. Thoma post antiquiores alios communius, ut Cajet. de ente & essentia cap. 5^o. q. 8. Ferrar. 1^o. contra gent. c. 4^o. Capreol. in 2. dist. 13. q. 4^a. affirmativè; mens tamen D. Thomæ hæc in parte mihi obscurior est, quàm ut Resolutioni isti affirmativæ statim subscribam; & quia veriùs puto existentiam ab essentia realiter non distinguì, cumq; id tum in Philosophicis, tum in Theologicis (in quibus D. Thomæ authoritati plurimum ab omnibus defertur) propugnem, in oppositam partem sit

RESOLUTIO I.

LXXXVII. Dico, non sensit D. Thomas quòd materia 1^a. ex se sit ita pura potentia, quòd careat omni actu formali & entitativo.

Probatur 1^o. juxta D. Thom. lib. 1^o. Phys. lect. 13. sic illud, quod est aliquid præter formam aquæ & præter formam aëris, se habet ad ipsas substantias naturales, sicut se habet æs ad statuam, & lignum ad lectum, & quodlibet materiale & informe ad formam. Atqui sic se habet æs ad statuam, & lignum ad lectum, ut æs in se & secundum se existens formam statuæ recipiat, & sic est de ligno: ergò similiter, sic illud, quod est aliquid præter formam aquæ, sive materia prima juxta illud Divi Thomæ ibidem & hoc dicimus esse materiam primam, se habet ad formam aquæ, ut in se & secundum se existens formam aquæ recipiat; unde idem D. Thom. 7^o. Metaph. textu 8^o. lect. 2. dicit, materiam primam esse, non quidem illud, quod ex se est ita pura potentia, quòd careat omni actu formali & entitativo, sed præcisè quod caret omni actu formali, illud dico materiam (inquit) quæ secundum se, neque est quid (id est forma, ut condistinguitur contra actum entitativum, de qua loquens Aristoteles 5^o. Metaph. cap. 2^o. ait, forma est ratio & quod quid erat esset. & D. Thom. lib. 5. Metaph. lect. 2^a. quæ unumquodque consequitur naturam, vel generis, vel speciei per formam suam; natura autem generis, vel speciei est id, quod significat definitio dicens, quid est res, ideo forma est ratio ipsius (quod quid erat esse) id est definitio sive pars definitionis, per quam scitur quid res est) attende sequentia, ibi prosequitur per cæteras formas ut ab actu entitativo condistinguas, nec quantum, nec

aliquid aliud quidquam, quibus ens determinetur, sive ut ante, per quod scitur, quid res est: ergò, &c.

LXXXVIII. Confirmatur ex mente D. Thomæ loco ex 1^o. Physicorum supra citato, aqua fit ex materia & formâ aquæ, sicut statua ex ære & formâ statuæ; sed statua ex eodem lib. 5^o. Metaph. lect. 2. fit ex ære sicut ex inexistente, id est, in eo quod fit intrus existente inquit, & non tantum per formam statuæ, quia sic magis extûs, quàm intûs existeret; ergo similiter aqua fit ex materia aquæ, sicut ex inexistente, id est in aqua intus existente, & non tantum per formam aquæ.

LXXXIX. Probatur 2^o. in sententia D. Thomæ 8. Metaph. lect. 4^a. aliter fit ex vino acetum, quàm ex materia vinum, sic igitur (inquit) materia se habet per prius quidem ad vinum, sicut ad habitum & ad speciem; ad acetum autem, sicut ad privationem & corruptionem vini. Et paulò infra, non ergo acetum fit ex vino, sicut ex materia, &c. atqui si materia prima ex se sit ita pura potentia, quòd careat actu entitativo præterquam formâ à se realiter distinctæ, non fiet aliter ex vino acetum, quàm ex materia vinum, ergò, &c. Probatur minor, quia sicut præcisè fit acetum ex privatione & corruptione vini, vel potius existentia vini; ita fit vinum ex privatione & corruptione materiæ, vel potius existentia materiæ, vinæ v. g. quæ in generatione vini corrumpitur, cujus & materiæ, in sententia ista, una & eadem est existentia; ergò, &c.

LXXXX. Confirmatur, juxta mentem D. Thomæ loco statim citato, secundum accidens dicitur ex vino fieri acetum, in quantum fit ex materia ejus: atqui si materia vini careat omni actu entitativo, præterquam formâ vini, non magis secundum accidens dici poterit ex vino fieri acetum, in quantum fit ex materia vini, quàm in quantum fit ex forma vini, directè contra D. Thomam, ergò, &c. Probatur minor, quia non minùs materia perdet existentiam & corrumpetur, quàm forma vini, propter quod tamen non dicit, in quantum fit ex forma vini, ergò, &c.

LXXXXI. Objicies tamen 1^o. illud D. Thomæ q. 4. de potentia art. 1^o. in corp. ubi in principio Gen. dicitur: Terra autem erat inanis & vacua. Quidam namque intellexerunt prædictis verbis talem informitatem materiæ significari, secundum quam materia intelligitur absque omni forma, in potentia tamen existens ad omnes formas: talis autem materia non potest in rerum natura existere, quin aliqua forma formetur; quidquid enim in rerum natura invenitur, actu existit, quod quidem non habet materia, nisi per formam, quæ est actus ejus; unde non habet sine forma in rerum natura inveniri, ergò, &c.

LXXXXII. Respondeo propter hunc locum mentem D. Thomæ mihi quidem esse obscuram; ad eum tamen probabilissimè Respondeatur, D. Thomam ibi tantum velle materiam sine omni forma non posse in rerum natura existere simpliciter: item, quòd quidquid in rerum natura invenitur existens simpliciter, actu, sive per formam, existat: unde de potentia q. 4. ad 3^{um} eorum, quæ in contrarium objiciuntur, ait, quod autem est tantum in potentia, non simpliciter est; & de verit. q. 3. materia propriè loquendo non habet essentiam, sed est pars essentia; quod æquivaleret, materia prima non habet esse simpliciter, sed esse partis, sive, ut etiam loquitur Opusculo 31. esse incompletum, quod ibidem dicit esse nullum (puta per quod scitur quid res est; per quod

ens determinetur; &c. juxta eundem probatione 1^a citatum) materia dicitur quod habet esse, ex eo, quod sibi advenit, quia de se esse incompletum imo nullum (sensu jam dato, alioqui videretur contradictio in terminis) esse habet; ubi vides opponi esse materiae, quod accipit à forma; tamquam esse simpliciter & totius, esse secundum quid & partis; non verò tamquam esse commune ad esse partis & esse totius; opponi non esse simpliciter: quare subdit, unde simpliciter loquendo forma dat esse materiae, non quidem incompletum, sed simpliciter & completum. Ex his sequentia loca cum interjectis particulis intelliges: I. p. q. 66. art. 1. si materia, tamquam ens simpliciter, informis præcessit duratione, hæc jam erat in actu, &c. & quodlibet. 3^o. art. 1^o. omne enim quod est actu simpliciter, vel est ipse actus, vel est potentia participans actum; esse autem actum simpliciter, (non verò esse actum entitativum & in potentia) repugnat rationi materiae, quæ secundum propriam rationem est ens five actus in potentia. relinquatur ergo, quod non potest esse in actu simpliciter, nisi in quantum participat actum, actus enim participatus à materia (puta formalis, prout entitativo opponitur,) nihil aliud est quam forma: unde idem est dictum materiam esse simpliciter in actu, & materiam habere formam; dicere ergo quod materia sit simpliciter in actu sine forma, est dicere contradictoria esse simul. denique contra gentes c. 4^o. materia non tendit ad impossibile; est autem impossibile materiam tantum sub privatione esse, simpliciter.

LXXXIII. Elucidatur præcedens Solutio ex D. Thomæ opusculo 15^o. cap. 8^o. substantiis omnibus non est idem modus essendi: illæ enim substantiæ, quæ perfectissimæ, id est simpliciter esse participant, non habent in seipsis aliquid, quod sit ens in potentia solum: unde immateriales substantiæ esse dicuntur: sub his sunt substantiæ, quæ etiam in seipsis, hujusmodi materiam habent, quæ secundum sui essentiam est ens in potentia tantum, tota tamen earum potentialitas completur per formam, ut in eis non remaneat potentia ad aliam formam. Ecce D. Thomas non negat materiae omnem modum essendi, sed perfectissimæ, sive simpliciter & in actu, sic ut illi concedat modum essendi imperfectè, sive secundum quid & in potentia; ne tamen putes ipsum saltem negare materiae primæ esse, prout commune est esse completo sive simpliciter, & esse incompleto sive secundum quid; attende ad sequentia. Sed considerandum est quod ea, quæ à primo ente esse participant, non participant esse secundum universalem modum essendi, id est, secundum quod esse est commune ad esse incompletum, materiale & indeterminatum, & completum formale & determinatum, secundum quod est in primo principio; sed particulariter (nota secundum quemdam determinatum essendi modum, qui convenit huic generi, vel huic speciei, quid obsecro clarius in favorem nostræ Solutionis adferri possit? unaquæque autem res adaptatur ad unum determinatum modum essendi secundum modum suæ substantiæ; modus autem uniuscujusque substantiæ compositæ ex materia & forma, est secundum formam, per quam pertinet ad determinatam speciem. Et paulò post, præmissa evidenter ad mentem nostram concludit. Sic igitur in rebus ex materia & forma compositis; materia quidem secundum se considerata, secundum modum suæ essentiae habet esse in potentia, & hoc ipsum est ei ex aliqua participatione primi entis; participatio autem illa est ipsa creatio, igitur ex mente D. Thomæ creatio ad materiam secundum se terminatur, ac pro-

inde secundum se habet existentiam indeterminatam & materialem, sed propriam; caret verò secundum se considerata forma, per quam participat esse in actu secundum proprium modum, id est secundum esse determinatum sive determinati generis aut speciei, & iterum infra, quia igitur materia recipit esse determinatum, actuale per formam, &c.

LXXXIV. Objicies 2^o. illud ejusdem D. Thomæ I. p. q. 7. art. 2^o. ad 3^{um}. materia non existit in rerum natura per seipsam, cum non sit ens in actu; sed potentia tantum: unde magis est aliquid concreatum, quam creatum. & I. 2. q. 94. art. 5. ad 2^{um}. idem est esse forma & materia; & hoc quidem est esse compositi, ergo, &c.

LXXXV. Respondeo loca hæc eodem modo, quo præcedentia intelligi debere; sic nempe in materia prima non existat simpliciter in rerum natura per seipsam, cum non sit per seipsam ens in actu simpliciter, sed potentia tantum; unde magis est aliquid concreatum, quam creatum simpliciter: item sic, ut idem sit esse forma & materia simpliciter, quodque est esse compositi. Unde Axiomatis hujus inter Philosophos vulgarissimi, ex pluribus entibus in actu, non potest fieri unum per se, est hic sensus, ex pluribus entibus simpliciter non potest fieri unum per se; vel, ex pluribus entibus in genere, aut specie determinatis, non potest fieri unum per se; vel, denique ex pluribus entibus in actu formali prout contra materialem & entitativum distinguitur non potest fieri unum per se; hi enim sensus sunt omnino conformes Divo Thomæ locis ad objectionem 1^{am} citatis: quod autem PP. nostri Complutenses hic Disp. 3^a. q. 5. s. 1^o. opponunt, quod nulla existentia possit se habere ut potentia respectu alterius existentiae, quia, etsi una & eadem res possit esse, in diverso genere & ordine, actus & potentia; non tamen in eodem: parvi est momenti, quia instrumentum rectè se habet ut potentia respectu instrumenti, ut v.g. quantitas instrumentum materia rectè se habet ut potentia (in ipsorum sententia) respectu caloris instrumenti ignis, eodè similiter existentia, &c. deinde existentia est genus incompletum respectu existentiarum materiae & formæ, sicuti substantia, & essentia sunt genera incompleta respectu substantiæ & essentiae materiae & formæ, in his tamen una substantia, sive essentia se habet ut potentia respectu alterius; ergo similiter in existentibus materiae & formæ, &c. addit tamen potest D. Thomam materiae esse non vocatæ existentiam, sed essentiam; esse verò formæ vocatæ existentiam sive esse simpliciter, unde fit quod Opuscul. 48^o. cap. 2^o. dicat esse essentiae, quod materiae convenit, & esse existentiae, quod formæ convenit, differre realiter, ut duas diversas res; hoc autem posito, licet totum PP. Complutensibus concedatur, nihil contra nos evincunt.

RESOLUTIO IV.

LXXXVI. Dico 4^o. materia prima non est potentia activa indebitorum. Probatur 1^o. auctoritate tum Aristotelis lib. 2^o. de Ortu & Interitu c. 9. tum Augusti. 2^o. de natura boni contra Manichæos, ubi materiae primæ omnem activitatem & virtutem ad agendum denegant; sed potentia activa est activitas, & virtus ad agendum, ergo, &c. LXXXVII. Probatur 2^o. ratione; quia omnium efficientium, præterquam materiae debitorum, sufficienti causa effectiva, præter materiam primam, assignatur, ergo, &c. Probatur antecedens, quia materia prima

Disp. II. de I. Principio Corporis Natur. sive Materia I. Dub. IV. 17

primæ, & entium spiritualium Deus; formarum substantialium, & accidentium materialium forme substantiales, & accidentales materiales sunt sufficiens causa effectiva, ergo, &c.

LXXXV III. Objicies tamen: materia prima præcõninet formas substantiales corporeas, sic saltem ut eas materialiter possit producere; ergo & ut activè ac efficienter.

LXXXIX. Respondeo negando consequentiam; nam grande est discrimen inter materialiter & efficienter producere; quia materialiter producere, est quidpiam alienâ virtute efficienter productum in se sustentare; efficienter verò producere, est quidpiam propriâ virtute efficere: de quibus infra.

D V B I V M IV.

An dato quòd existentia materia realiter distinguatur ab ejus essentia, materia prima habeat propriam existentiam distinctam à forma.

c. **A**liter ab Authoribus hoc dubium proponi solet, videlicet, *an materia prima existat existentia forme*: asserunt enim Thomistæ communiter materiam primam imperfectam adeo esse entitatem, ut existentiam propriam non habeat, sed à forma emendatam: verum contrarium patet ex dubio præcedenti, & dicendis in Metaphysica ex professo de identitate reali existentia cum essentia; ut tamen sit disputationi locus, hinc suppono, & illis gratis do, existentiam realiter distinguì ab essentia, & secundum illam hypothefim, sit dubium.

R E S O L U T I O I.

ci. **D**ico 1^o. contra Thomistas communiter: licet gratis detur existentiam realiter distinguì ab essentia; materia prima habet propriam existentiam incompletam, condistinctam realiter ab existentia formæ.

cii. Probatur quia id omnino conformius est naturæ ipsius materię primæ, ut P. Arriaga hic, ergo, &c. ratio Antecedentis bona est, licet ab Arriaga non probetur, & P. Oviædus hic dicat *eam fringere, & negat à eâ majori conformitate, gelascere*: quare probo rationem Antecedentis: existentia sequitur essentiam; sed essentia materię primæ est secundum se incompleta, & petit compleri per essentiam formæ; ergo similiter existentia materię primæ est incompleta, & petit compleri per existentiam formæ: major patet in forma, cujus essentiam sequitur existentia, sic, ut non sit magis entitativè completa, (quidquid sit affectivè) quàm formæ essentia. Probatur ultima consequentia: quia alioqui vel esset existentia una indivisibilis totius, id est, sui & formæ? & hoc non, quia hæc est completa, & simul etiam formæ, ac proinde incomplebilis per existentiam formæ contra exigentiam existentia materię: vel existentia ipsius formæ? & hoc etiam non, quia, sicut essentia formæ est incompleta, ita & ipsius existentia; ac proinde, quia, sicut essentia formæ petit compleri per essentiam propriam materię primæ; ita existentia formæ petit compleri per existentiam propriam materię, ergo, &c.

ciii. Nec respondeat P. Oviædus hic materiam habere propriam essentiam, non verò propriam existentiam; quia, quod ipse supra ad P. Arriagam, *hæc responsio friget, & negat à pro secunda parte,*

gelascit: maximè si advertatur materiam primam habere propriam existentiam non impedire quominus materia prima sit pura potentia sensu ab Aristotele intento, id est, sustentationis; ita scilicet, ut sustentet, & non sustentetur ab alio tamquam subjecto sustentationis; juxta præmissa Dub. 3. Resol. 1^a. Hinc tamen

civ. Colliges 1^o. contra D. Caramuclem Metaph. libro 3^o. sect. 2^a. Dub. 4^o. dici non posse (propter rationem allatam, quæ applicari potest formæ) materiam habere propriam existentiam, & formam existere existentia materię; neque ratio, quam adfert ex sancto Thoma 1. p. q. 39. art. 2. ad 3^{um}, scilicet, *essentia dicitur ab essendo, natura ab operando*, quidquam tale probat; tum quia essentia & natura frustra realiter distinguuntur; malè enim per essentiam intelligit materiam, & per naturam naturalitatem sive physicam formam; tum quia si per ly essendo intelligatur existendo (ut intelligit) essentia separari potest ab essendo, ut patet in merè possibilibus; non verò natura, supposito quòd dicatur ab operando; nam operari supponit existere: S. Thomas autem ibi non distinguit essentiam realiter à natura, quia Deo utramque tribui significat, sed solum vult aliunde essentiam, aliunde naturam dici, licet una sit utriusque entitas.

cv. Colliges 2^o. contra eundem ibidem falsum esse, in corpore naturali existente non dari nisi unam simplicem existentiam, quæ subsistentiam afficiat; tum quia illa foret incompleta, non secus ac ipsa subsistentia, quam afficeret, incompleta foret: tum denique, quia sicut subsistentia formæ non est complementum ultimum materię primæ secundum esse essentia; alioqui non distingueretur ab existentia; sed secundum esse existentia; ita nec est illius existentia: ratio autem præfati authoris, videlicet, *non potest intelligi subsistentia* (quam supponit esse fundamentum naturæ substantialis) *actualiter existens actualiter sustentare naturam, & hanc non existere, quia, inquit, cum verum est dicere, subsistentia actualiter sustentat naturam, est etiam verum dicere, natura sustentatur actualiter à subsistentia; ergo etiam erit verum dicere natura existit*: nulla est: quæro enim quare intelligi non posset subsistentiam existentem sustentare actualiter (quia est actu) naturam non existentem; sicut rectè intelligitur, in ipsius sententia, subsistentiam non existentem sustentare actualiter (saltem consecutivè) existentiam: deinde argumentum ipsius retorqueo hoc modo, cum verum sit dicere in ipsius sententia, *subsistentia non existens actualiter sustentat existentiam; à pari verum est dicere è converso, subsistentia existens sustentat actualiter naturam non existentem*; ergo totum ipsius argumentum nullum est: denique, sicut per hoc, quòd aliquid per unionem A. unito uniat, non propterea unitur in se per unionem A. & per hoc, quòd aliquid uniat ubi ubi, non propterea ubicatur per ubi ejus; ita per hoc, quòd aliquid uniat subsistentia existenti, non propterea existit per existentiam illius; videtur enim esse omnimoda paritas.

cv. Confirmatur Resolutio: omnino superfluum est, tot in materia prima admittere diversas existentias, ac proinde toties materiam primam transire de uno esse ad aliud, quot formas acquirit, novas; sed hoc fieret; ergo &c: minor patet: Probatur major; quia nulla est necessitas ita existentias, &c.

multiplicandi, cum sine incommodo, & naturæ ipsius materiæ primæ conformius dici possit materiæ primam habere propriam existentiam, sicut habet propriam essentiam, ut solutione argumentorum patebit, ergo, &c.

CVII. Objicies 1^o. materia prima propter puram suam potentialitatem, non habet existentiam sibi identificatam; bene autem forma propter suam actualitatem; ergo materia non habet propriam existentiam, ac proinde existit per existentiam formæ.

CVIII. Respondeo 1^o. retorquendo argumentum in adversarios: vel enim materia prima habet puram potentialitatem secundum esse essentia, vel secundum esse existentia? si secundum esse essentia, adhuc, non obstante propria existentia, eam retinet, quia secundum esse essentia ita sustentat, ut non sustentetur; ita existit, ut secundum esse essentia existentiam non includat: si secundum esse existentia, quomodo dicis illam habere puram potentialitatem secundum esse existentia, secundum quod essentialiter includit actum existentia? quod respondebis applica tuo argumento.

CIX. Respondeo 2^o. puram potentialitatem materiæ non impedire; quod minus materia habeat existentiam sibi identificatam (ut probatum est dubio superiori) quia tamen nunc gratis danus eam non habere sibi identificatam; aliter

CX. Respondeo 3^o. potentialitatem materiæ puram, cum sit tantum sustentationis (ut sæpe diximus) & secundum esse essentia, (ut sequitur ex nostro supposito quod existentia materiæ distinguatur realiter ab essentia materiæ) non impedire, quod minus habeat existentiam propriam: quam secundum esse essentia sive secundum quod potentia est recipiat: Vnde nego assumptum; neque enim est ratio cur forma potius habeat existentiam sibi identificatam, quam materia prima; cum autem supponitur materiæ primam eam habere realiter à se distinctam, idem de forma supponitur, uti & formam illam secundum esse essentia recipere.

CXI. Objicies 2^o. esse, sive existere est propter operari; sed materia prima nullum habet operari; ergo neque esse.

CXII. Respondeo distinguendo majorem: esse est propter operari proprium vel alienum, concedo majorem; propter proprium, nego majorem; nam sive materia existat per existentiam propriam, ut docemus; sive per existentiam formæ ut communiter volunt Thomistæ; sive forma existat per existentiam materiæ primæ, ut vult (sed non bene probat) Caramuel; materiæ existere nunquam est propter proprium operari indebitorum, ut probatum est Dub. 3. Resol. 4. nec proprius effectus ejus in genere causæ efficientis assignari potest, præter quantitatem Physicam (quam esse fictitiam, probavimus in Logica) aut potentiam instrumentalem receptivam, de qua postea: unde materiæ existere, non est nisi propter pati, & sustentare operari alienum (ut consideranti patebit) & operari potentia istius instrumentalis tantum tamquam effectus proprii. dixi nec proprius effectus; nam materiæ effectum cuius entis communem, videlicet existentiam, ubi, durationem &c. facile est assignare.

RESOLUTIO. II.

CXIII. **D**ico 2^o. probabile tamen est materiæ primam existere per existentiam materiæ & formæ indivisibiliter communem; non

verò per propriam incompletam tantum.

CXIV. Probatur. probabile est materiæ primam subsistere per subsistentiam materiæ & formæ indivisibiliter communem, non verò per propriam incompletam tantum; ergo similiter probabile est materiæ primam existere per existentiam, &c. Probatur consequentia, quia cum existentia, in data hypothese, non minus sit realiter distincta ab essentia, quam subsistentia ab existentia, rectè dicitur se habere ad essentiam, sicut subsistentia ad existentiam; sed hæc est existentia totius compositi, & non solum materiæ primæ, ut probabitur infra; ergo & existentia: Probatur hoc assumptum, quia, sicut subsistentia materiæ primam ultimò complet in existere, ita existentia materiæ primam ultimò complet in esse; ergo &c.

CXV. Confirmatur, nulla est necessitas multiplicandi existentias, ut solutione argumentorum patebit; ergo &c.

CXVI. Objicies 1^o. alia est ratio dicendi materiæ subsistere per subsistentiam totalem & utriusque communem; alia, existere per existentiam totalem vel talem, ergo, &c.

CXVII. Respondeo negando antecedens, de quo Resolutione 3^a; quia in hypothese distinctionis realis existentia à materia, non video ullam necessitatem distinguendi modum, quo se habet existentia ad essentiam, à modo, quo se habet subsistentia ad existentiam: nam sicut hæc materiæ primam ultimò complet in existere, ita ista illam ultimò complet in esse.

CXVIII. Objicies 2^o. res non aliter producuntur, quam per productionem suæ existentia; sed materia prima non producitur per productionem existentia formæ; ergo per productionem propriam; ergo materia prima habet propriam existentiam: Probatur minor, quia existentia formæ, & consequenter forma ipsa, saltem materialis, generatur, materia autem creatur, ergo, &c.

CXIX. Respondeo hoc argumentum habere quidem vim contra Thomistas, qui concedere debent majorem, ne alioqui admittere debeant absolute dari aliquid productum non existens: minime verò contra nos, qui majorem in data hypothese (licet absolute veram) negandam putamus, & stando in hypothese ista, dicimus productionem terminari ad id, quod recipit existentiam materiæ, sive ad essentiam materiæ, ut realiter ab existentia ejusdem distinctam; si enim secundum illam supponatur capax aliquid realiter recipere, erit etiam capax secundum illam realiter produci; per creationem quidem secundum esse essentia, per generationem verò secundum esse existentia: unde minor est vera, & eam non obstante, consequentia est falsa; sed addi potest, materiæ, nec produci per existentiam incompletam formæ, nec per propriam, sed per communem totius, sic nempe, ut materia secundum hanc existentiam terminet generationem, & secundum essentiam creationem, ut ante dictum est.

CXX. Objicies 3^o. compositum pendet à priori à materia prima; ergo materia non existit per existentiam totius compositi: Probatur consequentia, quia alias etiam materia penderet à priori à composito, & consequenter à seipsa; ac proinde daretur mutua causalitas, tum compositi ad materiæ, tum materiæ ad seipsam & compositum.

CXXI. Respondeo distinguendo antecedens: compositum

compositum inadæquatè sumptum, & secundùm unam partem, scilicet formam, pendet à priori à materia prima, concedo Antecedens; secundùm alteram partem, scilicet materiam existentem, nego Antecedens; alioqui enim idem penderet à priori à seipso, quod intelligi non potest.

CXXII. Adde tamen, in data hypothesi distinctionis realis existentia materia primæ à materia prima, non fore ut materia pendeat à priori à composito; quia existentia completa compositi materia & formæ communis adhuc à materia antecedenter non existente pendere deberet, sicut in illa antecedenter non existente, in hypothesi ista, recipi, & ex ea educi deberet; hæc quidem, fateor, sunt absolutè loquendo, & extra hypothesim positam, omnino exotica, verumtamen ex ea legitime sequi, suadet ratio.

CXXIII. Objicies 4^o. si probabile est materiam primam subsistere per subsistentiam materiae & formæ indivisibiliter communem; superfluum non est tot in materia admittere diversas existentias, quot diversæ in ea succedunt formæ; ergo vel confirmatio præcedentis Resolutionis non est probabilis; vel hæc probatio hujus est improbabilis; assumptum patet, quia inde sequitur tot in materia admitti debere diversas existentias, quot diversæ in ea succedunt formæ.

CXXIV. Respondeo primum esse probabile, supponi ex infra probandis, videlicet, quia alioqui subsistentia materiae esset ultimum complementum materiae in existere, & non esset; esset, quia id est de ratione subsistentia: non esset; quia per subsistentiam formæ compleri deberet, sicut materia per formam, & existentia materiae per existentiam formæ, compleri debent ex præmissis Resolutione 1^a: licet autem hinc sequatur tot in materia admitti debere diversas subsistentias, & consequenter existentias, quot diversæ in ea succedunt formæ, idque sit omnino necessarium, & non superfluum, sistendo in allata ratione; aliud tamen contingit, & est superfluum, sistendo in proportionem servanda, tali inter existentias & subsistentias, qualis inter materiam & formam reperitur; in proportionem verò hac fundatur probabilitas primæ Resolutionis, sicut hæc Resolutio fundatur in definitionibus subsistentia & existentia. Vnde nego assumptum.

CXXV. Instabis, per responsionem istam non evacuatur tota difficultas Objectionis præcedentis; casu quo enim hæc proportio contra hanc Resolutionem, & definitiones illæ contra primam Resolutionem objiciantur, utraque magnam difficultatem patitur, ergo &c.

CXXVI. Respondeo negando assumptum; quia in primis, si contra hanc Resolutionem proportio ista objiciatur, responderi debet illam, inter materiam quidem & formam servari posse; sed non inter materiae & formæ existentias; ne existentia materiae sit ultimum complementum materiae in existere, & non sit: si verò contra primam Resolutionem definitiones existentiarum istarum objiciantur, Responderi potest existentiam incompletam materiae esse ultimum complementum perfectibile in existere, & sic non absolutè ultimum; existentiam autem formæ esse ultimum complementum perfectivum in existere: unde patet utramque Resolutionem simul probabiliter sustineri posse: tamen

CXXVII. Urgebis, ergo ratio suppositionis, propter quam probabile supponitur, non dari subsistentiam incompletam, videlicet, quia alioqui subsistentia materiae esset ultimum complementum in subsistere, & non esset, non stat; quia distingui potest, admittendo esse ultimum complementum materiae perfectibile in subsistere; negando verò esse ultimum complementum materiae perfectivum in subsistere, ergo, &c.

CXXVIII. Respondeo sistendo in hac Resolutione, nullam esse necessitatem dividendi existentiam, subsistentiam, &c. sive ultimum complementum, &c. in materiale seu perfectibile, & formale seu perfectivum; quandoquidem ex una parte, sive sic dividatur, sive non, id est, sive sint in corpore naturali duo partialia complementa, sive unum tantum & totale; in omni generatione debeat existentia mutari: sive enim mutetur una partialis forma tantum, sive mutetur una, quæ sit simul materiae & formæ, omnino perinde est, quia una eadem mutatur, prout infra ostendemus, de ubi, quod, mutatâ materiâ in Eucharistia, mutatur, sive ubi specierum sit partiale, sive sit unum materiae & ipsarum, prout unum esse utriusque, non obstante illâ mutatione, infra agètes de ubi propugnabimus.

CXXIX. Deinde si dicatur materiam posse creari naturaliter separatim ab omni forma, ac proinde debere habere existentiam propriam. Admisso antecedente, negari potest sequela; licet enim dictæ species naturaliter existere non possint, nisi in loco materiae; potest tamen materia creari (dato quòd existentia realiter distinguatur à materia, quod hic supponitur) sine existentia; quia si receptio existentia propria ad materiâ ut sic terminari potest, potest & creatio propria ad illam ut sic terminari; ac proinde ex eo quòd creari possit separatim ab omni forma, non sequitur illam debere habere existentiam propriam.

D V B I V M V.

An materia prima sit ingenerabilis & incorruptibilis.

Ante Resolutionem **CXXX.** Suppono 1^o. generationem & corruptionem posse dupliciter accipi; primum latè, & sic generatio est *quæcumque productio*, sive *creativa*, sive *eductiva*, *forma ex præjacente subjecto*; corruptio verò è *contra quæcumque desitio*, sive *annihilativa*, sive *alia*, *aliquo remanente subjecto*: secundò strictè, & sic generatio est *productio formæ ex præjacente subjecto*; corruptio verò è *desitio formæ aliquo remanente subjecto*.

CXXXI. Suppono 2^o. certum esse materiam primam esse à Deo latè generabilem & corruptibilem, id est, creabilem & annihilabilem: quia creaturæ ab ipso pendunt in fieri & conservari, ut Catholicorum negabit nullus, haud minùs, quàm species Eucharisticae, quæ in omnium sententia, vel secundùm se, vel secundùm quantitatem basim, modò creantur, & ante consecrationem generabantur.

R E S O L U T I O I.

CXXXII. **D**ico 1^o. materia prima est latè generabilis & corruptibilis à creatura, suppositâ veritate Resolutionis, quâ docebimus

infra, esse possibilem creaturam, quæ connaturaliter creet & annihilat. Resolutio hæc explicatis terminis, in illa hypothese evidens est, nec aliâ probatione indiget. Quare fit

RESOLUTIO II.

CXXXIII. **D**ico 2^o. nulla creatura est assignabilis, à qua de facto materia prima latè corrumpatur, aut latè generetur.

Probatur, quia ejus est corrumpere latè, sive annihilare, cujus est creare: atqui non est creaturæ, sed proprium Creatoris de facto creare, ergo, &c. minor certa est apud omnes Theologos: probatur major; ejus est latè corrumpere, seu annihilare, cujus est subtrahere concursum creativum; sed solus Creator habet talem concursum, ergo, &c.

CXXXIV. Nec dicas 1^o. materiã primam de facto posse annihilari à creatura, vel per improductionem formæ illius esse contrariæ; vel per ejectionem omnium formarum substantialium, à quarum aliqua indeterminatè à posteriori in conservari pendet: quia in primis, cum exigit omnem formam materialem successivè, utpote illius subiectum connaturale, nulla illi contraria assignari potest, ne alioqui dicatur exigere sui destructionem, contra naturalem cæterorum entium experientiam: deinde falsum est (ut probabimus infra) materiam pendere à posteriori ab aliqua formarum materialium, siquidem potest naturaliter conservari sine omni forma (saltem substantiali, de qua esse debet fermo) ut paulò infra probabitur.

CXXXV. Nec dicas 2^o. non est genitoris corrumpere strictè, quia aqua corrumpit ignem, quem non generavit, ergo nec Creatoris annihilare: quia meritò negatur consequentia; est enim disparitas, nempe quod corruptio strictè non per solam subtractionem concursus fieri debeat, sed etiam fieri possit per improductionem dispositionum contrariarum; annihilatio verò per solam subtractionem concursus, ut patet ex iam dictis.

CXXXVI. Quæri & resolvi hinc ulterius solet 1^o. an materia prima sit aliqua potentiã strictè generabilis, aut strictè corruptibilis? sed quia affirmativa, quæ à dicendis infra de educatione formæ pendet, nobis est probabilior, vide illius Resolutionem infra, ubi de educatione formæ agimus. 2^o. an de facto sit per creationem, an per generationem à Deo producta? sed quia id etiam à dicendis infra de subsistentia basi pendet, similiter infra resolvetur.

DUBIUM VI.

An Materia prima appetat omnes formas, & quo appetitu.

Ante Resolutionem **CXXXVII.** **S**uppono 1^o. duplicem distinguui à Philosophis appetitum: unum Physicum & innatum sive improprium; alterum vitalem & elicatum sive proprium: elicatus, qui ab eo quod contingenter eliciatur, talis dicitur, est *actus, quo anima mediã cognitione bonum suum prosequitur*; quare dicitur appetitum elicatum solis viventibus cognoscitivis esse proprium: innatus verò, qui, ab eo quod connaturaliter in natura nascatur, talis dicitur, est *quælibet propensio à Deo natura ingenita in bonum suum*: unde appetitus innatus, etiam non viventibus convenit: appetitus tamen rectè dicitur nomen ana-

logum respectu eliciti & innati, sic ut isti principaliter, huic per Analogiam ad istum tribuatur.

CXXXVIII. Suppono 2^o. appetitum elicatum esse triplicem: primum desiderii, & est, qui prosequitur bonum apprehensum ut absens; secundum gaudii, & est, qui fertur in bonum apprehensum ut præsens; tertium denique simplicis complacentiæ, & est, qui prosequitur bonum secundum se, ab illius præsentia aut absentia, &c. præscindendo.

CXXXIX. Suppono 3^o. eadem improprietate & metaphorâ, quâ aliquid dicitur appeti appetitu innato, dici posse appeti appetitu desiderii, gaudii & simplicis complacentiæ; si enim appetitus, qui propriè loquendo, semper est elicatus, improprie & per metaphoram rectè dicatur innatus; appetitus desiderii, gaudii &c. qui propriè loquendo, semper est elicatus gaudii, desiderii &c. improprie & per metaphoram rectè dicitur innatus desiderii, gaudii &c.

CXL. Dixi eadem metaphorâ; quia ideo tantum res inanimatæ dicuntur habere appetitum, quia, sicut animata appetitiva eliciunt veram & realem appetitionem objecti ab eis cogniti sub ratione boni & convenientis; ita illæ omnem suam perfectionem naturalem veram & realem à se distinctam elicerent, si potentiam appetitivam haberent.

CXLI. Suppono 4^o. materiam hic debere nudè & secundum se accipi, nam de vestita dispositionibus ad formam introducendam necessariis, omninò aliter philosophandum esset, ut ex sequentibus constabit. His suppositis fit

RESOLUTIO I.

CXLII. **D**ico 1^o. Materia prima appetit appetitu desiderii formas absentes, sive quas non habet, successivè habendas.

CXLIII. Probatur, quia Materia prima appetit vicissitudinem generationum, ergo & formas absentes appetitu desiderii: consequentia patet; quia vicissitudo generationum esse non potest, nisi per acquisitionem formarum absentium: Probatur antecedens, quia vicissitudo generationum est bonum Univerſi, ac proinde Materiæ primæ; quia bonum totius est bonum partis; nec est alia pars Univerſi assignabilis, quæ vicissitudinem generationum exigat, ergo, &c.

CXLIV. Objicies tamen ex P. Oviedo hic, qui contrariam verissimam putat, & dicit se facile eam probare hæc ratione; Materia prima, dum habet formam substantialem sibi unitam cum omnibus ad unionem requisitis, habet satiatum appetitum, etiam si perpetuò duret sub eadem formâ; ergo non appetit appetitu desiderii omnes formas successivè habendas.

CXLV. Confirmatur, quia si appeteret formas absentes, appeteret destructionem præsentis; sed hoc est absurdum; ergo, &c. Probatur minor, quia non est violentè, sed naturaliter sub illa, ergo, &c.

CXLVI. Respondeo distinguendo antecedens, materia prima, dum habet formam substantialem, &c. habet appetitum gaudii perfectè satiatum, concedo antecedens; nec mirum, quia appetitus gaudii fertur in formam præsentem, cum qua materia prima aliam (saltem in gradu intenso) simul habere non potest: appetitu desiderii; nego antecedens; nam, cum etiam in vicissitudinem generationum feratur, consequenter in formas absentes ferri debet.

CXLVII. Respondeo ad Confirmationem distinguendo

distinguendo majorem, appeteret destructionem præsentis per accidens, in quantum eâ stante non potest haberi vicissitudo generationum, quam appetit, concedo majorem; per se, nego majorem; nam simpliciter ipsi melius esset informari pluribus formis, & fieri novas generationes, aliis, quæ præfuerunt, remanentibus, quàm unicâ informari, illis, quæ præfuerunt, pereuntibus: quia materia non aliter appetit destructionem formæ præcedentis, quàm generatio, aut forma succedens illam appetat, ut præmissa consideranti patebit.

RESOLUTIO II.

CLVIII. **D**ico 2^o. materia prima appetit appetitu gaudii formam substantiali-lem, quam habet; non quidem quatenus illa est in particulari; sed quatenus ab illa substantialiter completur.

CLIX. Probatur: quia forma substantialis, quam habet, est bonum materiæ præsens, sive possessum; sed appetitus gaudii fertur in bonum præsens, sive possessum, ergò, &c.

CL. Dixi non quidem quatenus illa est in particulari; quia quælibet, per quam substantialiter completur materia, est bonum materiæ; unde appetitu gaudii unam præ aliâ non appetit.

CLI. Objicies 1^o. appetitus gaudii materiæ primæ à materia prima non distinguitur; sed materia prima est eadem, sive forma sit præsens, sive absens; ergò eodem semper appetitu appetit formas aut præsentis, aut absentes; ac proinde vel semper appetitu desiderii, vel semper appetitu simplicis complacentiæ; prout vis.

CLII. Respondeo distinguendo antecedens, appetitus gaudii radicalis (de quo hic) materiæ primæ, non distinguitur à materia prima spectatus secundum intrinsicam, & ea, quæ dicit in recto, concedo antecedens: secundum extrinsecam, & ea, quæ dicit in obliquo, nego antecedens: appetitus enim elicited (à quo per metaphoram innatus) radicalis dicit relationem transcendentalem ad objectum, & quidem desiderii, si objectum sit absens & ut tale cognitum, gaudii, si præsens, &c. unde appetitus materiæ innatus radicalis in recto dicit materiam, in obliquo, loco objecti, formam.

CLIII. Objicies 2^o. Appetitus supponit indigentiam; sed materia non indiget formâ, quam habet, ex quo colligit Aristoteles formam non appetere seipsam, quia non indiget seipsâ, eò quòd seipsam habeat; ergò materia prima non appetit appetitu gaudii formam substantialem, quâ habet.

CLIV. Respondeo distinguendo assumptum appetitus desiderii supponit indigentiam, concedo assumptum; siquidem est rei absentis: gaudii, nego assumptum; quia est rei præsentis & possessæ. Adde dici posse materiam indigere formâ, quam habet, provisionaliter, ne videlicet, ejus & aliarum privatione, turpis fiat & deformis, siquidem formam appetit ut turpe pulchrum, inquit Aristoteles hic textu 81.

RESOLUTIO III.

CLV. **D**ico 3^o. contra PP. Arriagam, Ovidium & D. Caramuellem Metaph. libro 3^o. sect. 2^a. Materia prima (scilicet corporum sublunarium) appetit omnem formam substantialem (scilicet sublunarem) præsentem & absentem, cor-

ruptam & non corruptam possibilem; producendam vel non producendam, appetitu simplicis complacentiæ. Ante probationem verò

CLVI. Ratio harum restrictionum est: quòd, sicut materia cœli, si distinguatur specie à sublunari, non appetit formas sublunares; ita nec materia nostra appetit cœlestes.

CLVII. Probatur Resolutio; quia appetitus materiæ simplicis complacentiæ nihil aliud est, quàm intrinseca potentia & capacitas ipsius materiæ ad formam; sed illa eadem est, sive forma sit præsens, sive absens; sive corrupta, sive non corrupta, &c. ergò, &c. Probatur major, quia appetitus ille à præsentia vel absentia, corruptione vel non corruptione, &c. formæ, præscindit, ut constat ex ejus definitione, ergò, &c.

CLVIII. Confirmatur, quia sive forma sit de possibili facta impossibilis, sive de novo naturaliter producibilis, sive non, nihil mutatur ex parte materiæ, sed tota mutatio fit ex parte formæ; ante illam verò impossibilitatem aut improducibilitatem naturalem, materia habebat appetitum ad illas omnes, ergò & post; quia post non est mutata, ut patet.

CLIX. Objicies 1^o. appetitus materiæ est inclinatio ad bonum naturaliter possibile: sed productio formæ corruptæ non est naturaliter possibilis; ergò ad formam corruptam non est appetitus in materia.

CLX. Respondeo distinguendo majorem: appetitus materiæ est inclinatio ad bonum naturaliter possibile pro eo statu, pro quo ab ea aliquando perficitur, concedo majorem; pro eo statu, pro quo ab ea nunquam perficitur, nego majorem; quia, ut patet, talis inclinatio & appetitus omnino superfluus est: quia tamen forma in statu corruptionis existens, in quo materiam nunquam perficit, aliquando est in statu productionis, formam corruptam positivè appetit, præscindendo à statu in quo est, licet eam ut corruptam non appetat, nisi privativè.

CLXI. Instabis appetitus materiæ dicit in suo conceptu formali negationem primæ productionis formæ, sic ut forma, quam appetit, non sit primò producta, ergò, &c.

CLXII. Respondeo negando assumptum; quia appetitus materiæ nihil plus est ex parte materiæ, quàm materia ipsa, ut per se patet; ex parte verò materiæ & extrinsecorum nihil plus quàm materia ipsa & formæ, quæ in aliquo statu (si actuetur) materiam aliquando perficiunt, sive pro hoc statu sint primò productæ, sive non; sive sint corruptæ, sive non, &c. quia illas non appetit ut præsentis, futuras aut præteritas; sed ut formas à quibus in aliquo statu (si actuetur) aliquando perficitur: de corruptis autem verum est dicere, quòd materia aliquando ab illis perficiatur, licet nunquam ab illis perficiatur ut corruptis, quia non asserimus materiam appetere formas ut corruptas, sed corruptas.

CLXIII. Objicies 2^o. potentia materiæ mutatur per hoc, quòd forma corrupta de possibili fiat naturaliter impossibilis; ergò eadem non est ad formas corruptas & non corruptas; ac per consequens, nec idem illius appetitus complacentiæ, qui, ut dictum est, identificatur isti potentie.

CLXIV. Respondeo negando antecedens: nam sicut forma non obstante suâ corruptione, semper manet

manet ex conditione sua intrinseca naturaliter producibilis, licet per accidens naturaliter reproduci non possit, ratione decreti Dei extrinseci, quod voluit formam semel corruptam non reproduci naturaliter ad majorem decorem Vniuersi, rerumque in eo varietatem; ita potentia materiæ semper remanet ex conditione sua intrinseca eadem, ac per consequens semper ex conditione sua intrinseca formas corruptas appetit; licet per accidens, non secus ac illæ, quas Deus numquam decrevit producere, naturaliter reproduci non possint: & ratio est, quia illæ aliquando existunt, & illa ab illis aliquando perficitur: materia verò prima appetit omnem formam, à qua aliquando perficitur, nec discernit inter perfectionem suam naturaliter possibilem, & per accidens absolutè, sive supernatur aliter tantum possibilem.

CLXV. Nec dici potest cum nonnullis materiam per accidens non appetere formam corruptam: quia *ly per accidens* in proposito, non debet appellare materiam, ut sit sensus, materia per accidens appetit formam corruptam, & naturaliter impossibilem; sed formam, ut sit sensus, materia appetit naturaliter formam corruptam, per accidens naturaliter impossibilem.

CLXVI. Objicies 30. non possunt omnes formæ simul recipi in materia; ergo eas omnes non appetit appetitu complacentiæ, &c.

CLXVII. Respondeo negando consequentiam; quia cum appetitus complacentiæ abstrahat ab absentia & præsentia formarum, sufficit, quod sit capax earum successivè habendarum, indeque ut summum sequi potest materiam illas omnes simul non appetere appetitu gaudii, ut cõsideranti patebit.

CLXVIII. Instabis: si materia prima omnes formas appeteret, simul omnes appeteret; sed hoc dici non potest, ergo, &c.

CLXIX. Respondeo distinguendo sequelam, simul omnes appeteret similitate appetitus simplicis complacentiæ, concedo sequelam; similitate objecti, vel existentiæ omnium formarum in materia, nego sequelam; quia illas tantum appetit successivè habendas, ut diximus, idque non absolutè, sed conditionatè & provisionaliter, si hæc privetur.

RESOLUTIO IV.

CLXX. **D**ico 4^o. materia æqualiter omnes formas substantiales appetit: ita Ruuius q. 7. Dub. 2^o. Aversa q. 20. sect. 21. Fuent. q. 2. diff. 3. art. 3^o. Arriaga disp. 2. sect. 4^a. contra Matrium hic q. 6. art. 2^o. Poncium, Comptonum, &c.

CLXXI. Probat, quia, licet formæ imperfectiores substantiales non sint æquale complementum substantiale in esse naturæ, ac perfectiores; sic sunt tamen tale ejus complementum, ut vicissitudinariè ejus perfectibilitati melius sit eas per vicissitudinè habere, quàm perfectiorè semper habere, ergo, &c.

CLXXII. Dices tamen ex P. Comptono: omnis res inclinatur magis ad majorem suam perfectionem, ergo, &c.

CLXXIII. Respondeo distinguendo antecedens: omnis res bono Vniuersi, sive Cõmunitatis, destinata, ut est materia prima, utpote subjectum vicissitudinis generationum, quam exigit decor Vniuersi, inclinatur magis ad majorem perfectionem Vniuersi, concedo antecedens; ad majorem perfectionem particularem, nego antecedens; quia res bono Vniuersi, sive Cõmunitatis, destinata, sequitur exigentiam boni Vniuersi, ad quod destinatur;

major autem est Vniuersi & Cõmunitatis perfectio, materiam habere indifferentiam ad omnes formas, quæ particularem inclinationem ad perfectiores; quia aliqui vicissitudo generationum, per quæ Vniuersum seu Cõmunitas multum perficitur, impediretur; minimè verò in casu Resolutionis.

CLXXIV. Instabis ex P. Poncio: appetitus materiæ nihil aliud est, quàm perfectibilitas ejus; sed materia est magis perfectibilis per formam perfectiorem, quàm per imperfectiorem; quandoquidem cum ipsa componat compositum perfectius, quàm cum imperfectiori, ergo, &c.

CLXXV. Respondeo negando minorem, quia perfectibilitas intrinseca materiæ non debet peti à perfectione extrinseca formæ, sed ab intrinseca, utpote intrinseca, quæ non admittit magis & minus, sive in perfectibilitate distinctionem objectivam, aut ex natura rei, ut supra vidimus: hoc tamen modo distingui potest Minor; perfectibilitas materiæ, quæ permanens, sive quæ subjecti permanentiæ formæ in ipsa, est magis perfectibilis ratione nostrâ formali, concedo minorem; quæ vicissitudinariæ, sive quæ subjecti vicissitudinis formarum in ipsa, nego minorem: patet autem quæ ratione materia cum forma perfectiori faciat compositum perfectius, videlicet ratione formæ, nõ ratione sui.

CLXXVI. Urgebis ex P. Comptono: etiam perfectibilitas, sive potius perfectio amoris creaturæ propter Deum, & medicinæ propter sanitatem, est isto modo indivisibilis; magis tamen & minus admittit; sic ut creatura magis Deum, quàm creaturas; magis sanitatem, quàm medicinam appetat: idem etiam contingit in visione Dei & creaturæ in Deo, quæ respectu Dei est distinctior, respectu creaturæ minus distincta & abstractiva, ergo, &c.

CLXXVII. Respondeo distinguendo assumptum pro secunda parte: magis tamen & minus perfectio amoris, &c. admittit, absolutè & secundum se sumpta, nego assumptum; ratio sumitur ex dictis contra distinctionem Thomisticam & Scoutisticam in Logica, Tract. 1^o. Disp. 2^a. in quorum laqueos hic incidit P. Comptonus, putans vitare sententiam P. Arriagæ: prout per diversos actus mentis in ordine ad diversa objecta inadæquatè ex parte actus concipitur, concedo assumptum; sed hinc inferri non potest admittere intrinsecè magis & minus sub his terminis, magis quàm admitti possit Petrum esse animal & hominem sub his terminis ante intellectum. De quo fusè in Logica Tract. 1^o. Disp. 1^a. num. 30. & 31. ac Disp. 2^a. num. 227.

D V B I V M VII.

An Potentia per quam materia recipit formas substantiales distinguatur realiter ab illa.

An te Resolutionem
CLXXVIII. Suppono 1^o. per potentiam, hic non intelligi dispositiones prævias ad introductionem formæ; sed quidpiam medium inter materiam & formam substantialem, in quo hæc, tamquam in subjecto sustentationis, sustentetur.

CLXXIX. Suppono 2^o. multum distingui, materiam esse potentiam; esse potentia; & esse in potentia: quia esse potentiam, est non esse actum illi potentia oppositum; sustentationis, si potentia sustentationis; informationis, si informationis, &c. materiam esse potentia, est posse esse, sive existere: esse in potentia, est materiam posse habere formam, quam non habet. His suppositis, sit

RESOLUTIO.

CLXXX. **D**ico contra Hervæum, Capreolum, Soncinatem, Ioan. à S. Thoma. & è Societate, Suarem, Hurtadum, Arriagam, Oviedum, Telles & Comptonum; è Scotistis verò Pontium: potentia per quam materia prima recipit formas substantiales distinguitur realiter ab illa: ita Pererius, Iandunus, Toletus apud P. Pontium hic 2^o. q. 9. art. 2^o. & 3^o. q. 6. Disp. 3^a. ita etiam noster Bachel Quodl. licet eam aliter, quam nos explicet: item D. Camuël Metaph. lib. 3^o. Disp. 7. Averroës & The-mistius juxta P. Comptonum Phys. Disp. 7. sect. 4^a.

CLXXXI. Probatur, potentia, sive instrumentum causæ efficientis substantialis corporeæ inanimatæ, distinguitur realiter à causa efficiente corporeæ, ut probabitur infra, & experientia docet ignem agere per calorem, aquam per frigus; ergò & potentia, sive instrumentum causæ substantialis materialis corporeæ inanimatæ, uti est materia prima: consequentia tenet à pari, vel potius à fortiori; quia imperfectiones agentium perfectiorum tribuuntur imperfectioribus, quamdiu experientia contrarium non docet, licet horum imperfectiones perfectioribus non tribuantur: quod totum patet in subsistentia realiter distincta, quæ brutis rationabiliter tribuitur, quia homine imperfectiora, non verò Angelis, quia uti sunt homine perfectiores, ita simpliciores; materia autè est longè imperfectior igne, aqua, &c.

CLXXXII. Respondet P. Oviedus hic se disparitatem non vulgarem facile ostendere; ex eo, quòd forma substantialis educta debeat constituere unum compositum substantiale, & essentialè cum subjecto, ex quo educitur; quòd cum facere non possit cū potentia accidentali, qualis esset illa potentia realiter distincta, fit, ut recipi, vel educi non possit ex potentia accidentali: unde sequitur (inquit) non dari talem potentiam à materia realiter distinctam. Sed

CLXXXIII. Contra est, quòd forma substantialis educta non debeat constituere compositum substantiale & essentialè cum subjecto quo ac instrumentali, ex quo educitur, quale est illa potentia; sed cum subjecto quòd & principali, quale est materia prima: Ratio est 1^o. quòd sicut actiones, ita & passionès sint suppositorum; potentia autem illa non est suppositum, sed bene materia in qua ipsa recipitur. 2^o. & fortius; ideo in cōmuni sententia forma substantialis non potest constituere unum per se substantiale, & essentialè cum generatione passiva, id est, cum receptione formæ, quia hæc est tantum subjectum quo formæ; ergo propter eandem rationem, nec poterit constituere cum potentia ista unum per se substantiale, quia illa est tantum subjectum quo formæ. 3^o. fortissimè; sicut in sententia P. Oviedi & aliorum, subjectum educationis, nec debet, nec potest constituere compositum per se substantiale cum instrumento formæ effectivo & ad eam dispositivo, quod in se habet, licet debeat cum forma; ita similiter forma, nec debet, nec potest constituere compositum substantiale cum instrumento subjecti educationis, licet debeat cum subjecto educationis.

CLXXXIV. Si verò urgeat hoc modo: vel forma substantialis educta uniretur immediatè isti potentia, quæ realiter distingueretur à materia, vel non? si primum, non faciet unum per se cum materia; si secundum, non erit subjectum instrumentale receptionis, uti nec instrumentale informationis, ut patet.

CLXXXV. Respondeo formam substantiale (cum, ut infra probabitur, eductio sit unio) proximè un-

niendam utrique, prout utraque erit proximè illius subjectum educationis; sic tamè ut uni proximè uniatur tamquam subjecto educationis principali, & quocum præcisè faciat unum per se substantiale; alteri tamquam subjecto educationis instrumentali, & quocum præcisè non faciat nisi unum per accidens: idem enim proportionaliter contingit in effectu causæ efficientis, qui fit ab ipsa causa tamquam causâ principali, ab instrumento tamquam causâ instrumentali, ut igne A. v.g. qui ignem B. producit tamquam causâ principalis, cum suo calore tamquam causâ ejusdem ignis B. instrumentali.

CLXXXVI. Confirmatur, juxta communiorè sententiam datur potentia instrumentalis formarum accidentalium; ergò & substantialium: Probatur consequentia, quia sicut in causa efficiente, igne v.g. potentia instrumentalis effectiva accidentalium, alterius caloris v.g. est & substantialium, alterius ignis v.g. ita potentia instrumentalis receptiva accidentalium, est & substantialium. Probatur antecedens ex Soncinatè 12. Metaph. q. 26. Iavello q. 8. Cajet. 1. p. q. 54. art. 3. & q. 77. art. 1^o. & plurimis aliis.

CLXXXVII. Objicies 1^o. forma seipsa est actus sustentationis; ergò è converso materia prima est seipsa subjectum sustentationis formæ: consequentia tenet à pari.

CLXXXVIII. Responsio quæ mihi primò occurrit, fuit retorasio in effectum causæ efficientis, qui producit (ut communiter asserunt omnes) nullo ex parte sua mediante instrumento realiter à se distincto, licet id mediet ex parte causæ efficientis: non est autem potior ratio, cur actus sustentationis sit talis per potentiam ex parte sua instrumentalem realiter à se distinctam, quam effectus per instrumentum, &c. verum non puto hanc responsionem omnino satisfacere: quæro enim cur non mediet ex parte effectus tale instrumentum, sicut mediat ex parte causæ? videtur enim esse paritas: nec obstat potest, quòd illud nō experiamur, quia etiam subsistentiam in nobis, aut brutis, realiter distinctam, in nobis, aut brutis, non experimur; illam tamen dari, ex eo, quòd in humanitate Christi data sit, rationabiliter inferimus. Quare aliter

CLXXXIX. Respondeo negado antecedens; quia forma seipsa non est actus sustentationis, sed mediante potentia sustentabilitatis ut instrumèto formali realiter à se distincto; sicut enim materia non est seipsa subjectum sustentationis, sed mediante potentia sustentativitatis, ut instrumento materiali realiter à se distincto; sic forma, &c. unde proportionaliter ab authoribus omnibus videtur dicendum, effectum non fieri seipso, sed medio instrumento causali realiter à se distincto; ista tamen duo instrumenta non aliter distinguuntur, quam actio & passio, & de illis puto eodem modo philosophadum, ac de actione & passione; nec video quid aliud authores omnes, contra quos multum militat hoc argumentum, respondere possint, licet responsio primo intuitu videatur exotica, defectu autoritatis.

CLXXX. Objicies 2^o. si potentia per quam materia recipit formas substantiales distingueretur realiter à materia; vel materia illam reciperet mediante aliâ realiter distinctâ, vel non? si primum, idem de hac secundâ quæram, & sic in infinitum: si secundum, ergò jam dicis materiam primam esse immediatè receptivam istius potentia: si sic, quidni erit & formarum substantialium, quibus, utpote consubstantialibus, est magis proportionata.

CLXXXI. Respondeo 1^o. retorquendo argumentum

tum in instrumentum causæ efficientis, calorem ignis v. g. vel enim causa efficiens suum instrumentum producit mediante alio realiter distincto, vel non? si primum, idem de alio quæram, & sic in infinitum: si secundum, ergo jam dicis causam efficientem esse immediatè ipsius instrumenti productivam; si sic, quidni erit & effectuum aliorum? quod negas.

CLXXXII. Respondeo igitur 2º. materiam primam, illam potentiã recipere immediatè, sicut causa efficiens corporea suum instrumentum producit immediatè, ne alioqui sequatur processus in infinitum; & id ipsum respondere debent omnes, qui admittunt in materia quantitatem realiter distinctam tanquam subiectum sustentationis accidentium materialium: unde non probo quod D. Caramuel loco citato docet nempe potentiã principalem receptivam esse cuicumque subiecto necessariam.

CLXXXIII. Objicies 3º. potentiã, &c. est essentialis materiæ; ergo non distinguitur realiter ab illa: Probatur antecedens, in quo sola difficultas, quia ab Aristotele hic c. 9. & nobis supra, materia definitur per rationem primi subiecti, sive primæ potentiæ, &c. eò quod sit essentialiter receptiva formæ, ergo, &c.

CLXXXIV. Respondeo distinguendo antecedens potentia, &c. radicalis, principalis & ut quod materiæ, est essentialis materiæ, concedo antecedens: formalis, instrumentalis & ut quo, nego antecedens; non enim aliter convenit materiæ esse potentiã formalem, &c. quàm conveniat igni esse calidum formaliter; ac proinde sicut ignis maneret ignis, si ab eo realiter separaretur calor formalis, remanente solo radicali, id est, capacitate ignis ad illum producendum; ita remaneret materia, si ab ea realiter separaretur potentiã dicta formalis, remanente sola radicali, id est, capacitate ad formas recipiendas: hanc similiter solutionem adhibe huic argumento; pura potentiã recipit, & non recipitur in alio: verum enim est de radicali, de formali potentiã falsum; ut à simili patet in 1ª causa efficiente, quæ efficit & non efficitur, si 1ª radicalis, principalis & ut quod; efficit autè & efficitur si 1ª formalis, pura creata, instrumentalis & ut quo, ut consideranti patebit.

CLXXXV. Instabis: illa potentiã formalis realiter distincta omnino superflua est, ergo solutio nulla: Probatur antecedens, quia sicut causa efficiens ad intra agit immediatè seipsã; ita causa materialis; nam quidquid causat, ad intra causat; ergo, &c.

CLXXXVI. Respondeo negando antecedens; ad eius probationem respondeo distinguendo antecedens: causa efficiens corporea inanimata ad intra agit immediatè suas proprietates, & instrumenta propria, concedo antecedens: effectus indebitos, & sine quibus realiter existere potest, nego antecedens; id ipsumque omnes negare tenentur: unde ex argumento tantum sequitur, materiam primam suã potentiã (utpote proprietatem illius & instrumentum proprium) recipere immediatè seipsã; alias verò formas substantiales, sine quibus naturaliter saltem determinatè, in dicitur postea, etiam absolute, existere potest, & quæ proinde sunt effectus indebiti, per potentiã realiter à se distinctam. Ex his

CLXXXVII. Colliges hanc conclusionem non esse extendendam ad omne subiectum; quasi verò omne subiectum haberet potentiã receptivam à se realiter distinctam; sed ad subiectum dumtaxat corporeum inanimatum. (de spirituali enim & animato fortè aliter philosophandum, ut infra) formarum contingentium, id est, indebitarum & non

connaturalium; quia sicut hæc immediatè producuntur sine medio instrumento, ita & immediatè recipiuntur, &c.

CLXXXVIII. Objicies 4º. D. Thomas oppositum tenet pluribus locis, & nominatim 1º. Physic. lect. 15. ubi ait, non igitur potest materia esse aliqua proprietas addita super essentialitatem ejus: sed materia secundum suã substantiam est potentia ad esse substantiale, ergo, &c.

CLXXXIX. Respondeo in primis, nos non profiteri doctrinam D. Thomæ purè Philosophicam, in eo rigore, in quo eam Thomistæ profitentur; sed sic tantum, ut in iis, in quibus ad Theologiam spectat, eam revereamur, & secundum Reverentiam tanto Doctore debitam, in bonum sensum interpretemur. verumtamen, hic & alibi intelligi potest D. Thomas loqui de potentiã principali ad esse substantiale, quæ ipsius materiæ substantia est, uti potentiã effectiva principalis ignis, substantia ignis est; non de instrumentali, de qua in Resolut.

D V B I V M VIII.

Quomodo Materia pendeat à forma, & naturaliter existere possit sine omni forma substantiali.

Ante Resolutionem
cc. Suppono 1º. rectè assignari duplicem dependentiam unius ab alio; prima dicitur à priori, & est dependentia effectus à causa efficiente, vel materiali, vel conditionali, sive conditione sine qua non necessario præsupposita: primo modo calor ab igne; secundo forma ignis à materia; tertio calefactio ab approximatione pendet. Secunda à posteriori dicitur, & est connexio, quam habet una res cum alia; non quidem tanquam à causa efficiente, vel materiali, vel conditionali dicta; sed tanquam à re sine conjunctione ad quam, non debeatur illi naturaliter conservatio; sic ignis pendet à calore, & quævis entitas à suis passionibus.

cc. Suppono 2º. utramque dependentiam rectè subdividi in naturalem & essentialem: naturalis est, quæ divinitus suppleri potest; essentialis, quæ nullâ virtute, etiam divinâ suppleri potest, magis quàm essentia mutari; exemplum naturalis sit dependentia ignis à calore suâ proprietate; exemplum essentialis, sit dependentia modi à proprio modificato. His suppositis, sit

R E S O L U T I O I.

ccii. **D**ico 1º. Materia prima nullo modo pendet à priori à forma substantiali, ita ferè omnes, sive Nominales, sive Scotistæ, sive Thomistæ & Societatis.

cciii. Probatur, quia materia prima non pendet à forma tanquam à causa efficiente, materiali aut conditionali dicta; sed non datur aliud genus dependentiæ à priori, ergo, &c. Probatur antecedens pro prima parte, quia per creationem efficitur, quæ, saltem per restrictionem ad creaturas præsentis aut præteritas, est propria Deo: item pro secunda, quia materia prima est positivè prima causa materialis, ut constat ex præmissis, unde deberet esse prior seipsa, utpote causa materialis formæ, & posterior, utpote à forma tanquam causa materiali à priori pendens, quod implicat: denique, pro tertia, quia forma, si materialis, à materia pendet ut à causa materiali (quod experiètia docet); si spiritualis in primo produci ab ea etiam ad ipsam disposita, tanquam à conditione sine qua non necessario prærequisita crearetur, pendet, ut infra patebit.

Consist.

CCIV. Confirmatur, quia materia alioqui generaretur, non secus ac forma; quia non fieret ex nihilo, sed ex præjacente forma, sicut forma non fit ex nihilo, quia fit ex præjacente subiecto, propter quod generari dicitur, ergo, &c.

CCV. Objicies, materia est imperfectior formâ, ergo ab hac debet dependere à priori.

CCVI. Respondeo negando consequentiam, & argumentum apertè contra objicientem retorquetur in calorem efficienter producentem ignem B. & in approximatione necessariò prærequisitam ad combustionem; ignis B. enim est perfectior calore, & combustio approximatione; ignis tamen B. & combustio ab illis pendent à priori, non è contra.

RESOLUTIO II.

CCVII. **D**ico 2º, contra PP. Suarem, Hurtadum, Arriagam, Oviedum, Telles, Comptonum, Murciam, & Thomistas ac Scotistas communiter: materia nullo modo pendet à forma substantiali: unde, etiam semel informata aliquâ tali, potest naturaliter omni destitui: Ita Marsilius in 3. q. 13. art. 1º. Gregor. in 6ºm Dist. 12. q. 2º. Bur. 1. Phys. q. 1. quos citat, Murcia hic Disp. 5. q. 6. materiamque 10. fuisse creatam sine omni forma substantiali docent plures, quos refert Argentinensis in 2. Dist. 12. q. unica art. 2º.

CCVIII. Adverte tamen ante probationem hic à nobis, ut supra, gratis non dari, existentiam realiter distinguì ab essentia; ac proinde probabile non esse quòd materia existat per existentiam totius; alioqui patet non posse existere sine omni forma.

CCIX. Probatur 1º, materia prima creatur; nec minus subsistens est subsistentiâ partiali, quàm anima rationalis; ergo non magis pendet in primo produci, aut conservari, ab aliqua forma substantiali, quàm anima rationalis, per se, & præscindendo à decreto Dei (quo, juxta communem, decrevit eam primò non producere nisi intuitu materiæ dispositæ) ab aliqua materia substantiali pendeat: atqui anima rationalis potest ab omni materia substantiali naturaliter separari; ergo & materia prima ab omni forma substantiali.

CCX. Nec obstat P. Poncius dicendo hanc rationem non esse adæquatam, cur anima rationalis non pendeat à posteriori à subiecto, sive cur naturaliter existere possit sine omni corpore: sed præterea, quia agens separans animam à corpore, non est naturaliter determinatum ad conjungendum aliud corpus cum ipsa, unde potest naturaliter existere sine omni corpore.

CCXI. Id nec obstat, inquam, quia nisi illud agens à Deo impediretur, id ex parte sua, tam est Determinatum ad illam animam conjungendam cum alio corpore, quàm materiam cum alia forma; & ipsa similiter tam ex parte sua inclinatur ad informandum aliud corpus, quàm inclinatur ad informandum prius; unde si hæc possit naturaliter existere sine omni corpore, poterit & materia sine omni forma; quia illud decretum non est pro materia, & solum impedit decretum Dei extrinsecum, quo voluit resurrectionem esse supernaturalem, & non naturalem.

CCXII. Probatur 2º, quia præcipuum quod ob stare potest est axioma communiter receptum, *Generatio unius est corruptio alterius*. Sic ut ab agente naturali non expellatur forma ex materia, nisi in

R. P. Francisci Bone Spei Physica.

eam prius introducendo dispositiones exigentes novam; item hoc, *Agens naturale ad malum non intendens, operatur; sed ad novum effectum*: Sed illa nihil convincunt, ergo, &c. Probatur minor, quia contrarium patet per experientiam, dum ignis in instanti per aquam superfusam exstinguitur; dum homo in instanti capite minuitur; hæc enim non tam fiunt per introductionem dispositionum oppositarum, quàm per suffocationem unionis, sive subitam illius subreptionem, ut patebit consideranti activitatem majorem ignis in aquam, quàm è contra, si contigua supponantur; item quòd ensis non habeat activitatem ad dispositiones formæ cadaveris introducendæ necessarias; ergo, &c. quod autem ad intentionem agentis spectat, si liberum sit, satis constat de opposito; si necessarium, illud intendit, quod reipsa facit, facere autem jam ostendimus, ergo, &c.

CCXIII. Confirmatur, eodem modo se habet materia ad formam substantialem, sicut causa ad effectum non connaturalem & contingentem, sive actione non emanativâ productum; sed causa ab eo à posteriori non pendet, nisi fortè jam positus omnibus ad illum producendum requisitis, quæ sæpe non sunt (ut experientia constat) ergo neque materia à forma à posteriori pendet, nisi fortè jam positus omnibus ad illam recipendam requisitis, quæ saltem absunt, ubi composita Physica subito dissolvuntur, ergo, &c. Probatur major, quia forma est effectus non connaturalis & contingens materiæ, & ab ea actione emanativâ non productus, ut constabit per formas singulas, saltem materiales, discurrenti.

CCXIV. Objicies 1º, materia ordinatur essentialiter ad formam; ergo ab ea pendet saltem à posteriori.

CCXV. Resp. negando consequentiam; & argumentum retorqueo in animam rationalem, quæ essentialiter ordinatur ad corpus tamquam partem compositi Physici, & tamen à corpore non pendet à posteriori, in communi sententia; quòd verò ita ad corpus ordinetur, patet, quia illud respicit transcendentaliter, sicut à corpore transcendentaliter respicitur; respici autem transcendentaliter non est respici inseparabiliter quoad unionem & locum; sed quoad utrumque separationem patitur.

CCXVI. Objicies 2º, si materia existeret naturaliter sine omni forma substantiali, esset ens actu sine actu; sed hoc implicat, ergo, &c. Probatur major Caramuel Metaphysicor. lib. 3º. Sect. 21. ubi dicit se stare pro negativa sine formidine contrariæ partis; quia actus primus substantialis materiæ est existentia; ergo si existeret naturaliter sine omni forma substantiali, esset ens actu sine actu.

CCXVII. Respondeo distinguendo majorem: si materia existeret naturaliter sine omni forma substantiali, esset ens actu incompletum sine actu formali prout opponitur entitativo, de quo procedit Resolutio, concedo majorem; sine actu entitativo, nego majorem; habet enim, ut supra Dub. 3. Resol. 3ª vidimus, propriam existentiam, quæ est actus entitativus: Probatio autem Caramuelis est hic omnino impertinens; quia non dicimus materiam posse naturaliter existere sine existentia, quod solum impugnat, & in terminis repugnat; sed sine forma substantiali alterâ parte compositi substantialis completi, quod non tangit.

C Objicies

CCXVIII. Objicies 3^o, materia prima non potest existere sine omni forma accidentali, ut v. g. sine omni ubi, esse nusquam; sine omni duratione, esse nunquam, &c. ergo neque sine omni substantiali.

CCXIX. Respondeo 1^o, hoc Argumentum fortè nimium probare, videlicet nequidem supernaturaliter materiam posse esse sine omni forma substantiali; quia communiter docetur nequidem supernaturaliter aliquid posse esse nusquam & nunquam.

CCXX. Respondeo 2^o, distinguendo consequens, ergo neque sine omni forma substantiali, quam proprie & emananter produceret, sicut in communi sententia (de quo nos infra) ubi, durationem, &c. producit, concedo consequentiam; sed nulla talis: quam ab alio productam contingenter recipiat, nego consequentiam; talis enim est formæ unio, qualis productio (ut infra patebit) ac proinde cum formarum, de quibus hic, sit contingens productio, est & contingens unio materiæ ad illas.

CCXXI. Respondeo 3^o, negando consequentiam; quia disparitas est, quod vix aut ægrè admodum intelligatur aliquid existere, & nusquam, aut nunquam esse; non item materiam informem omni forma substantiali contra entitativam distinctam existere. Ex his autem tribus Solutionibus

CCXXII. Colliges nullum esse pro opposita parte D. Murciæ fundamentum, videlicet, quod materia dicat necessariam connexionem, cum forma substantiali, tamquam cum complemento sui esse. Ita ille hic Disp. 7. q. 6. sed ipsi probare incumbit illud complementum esse materiæ proprium, & necessarium, & non contingens, quod negamus.

CCXXIII. Objicies 4^o, natura abhorret otiosum & inutile; sed talis esset materia sine omni forma substantiali, ergo, &c.

CCXXIV. Respondeo negando minorem; quia in primis otiosa non esset; nam suam potentiam receptivam formalem, subsistentiam partialem, ubi, durationem, &c. reciperet & terminaret: neque etiam inutilis esset; quia vacuum impediret: deinde considerari posset ut actu patiens & recipiens dispositiones ad formam, quam agentia circumstantia ex ea educere niterentur, quomodo valde utilis est.

CCXXV. Instabis: ideo materia dicitur otiosa & inutilis; quia sine omni forma non habet actum illum, ad quem essentialiter ordinatur, ergo, &c.

CCXXVI. Respondeo negando assumptum; quia in primis habet subsistentiam, durationem, &c. ad quas formas strictius ordinatur quam ad alias substantiales, cum sine his naturaliter existere possit, non autem sine illis: deinde, sicut potentia progressiva non est otiosa sufficienter ad non existentiam, hoc ipso quod nullum habet actum progressionis, modò illum habere possit; ita nec materia prima, hoc ipso quod non habet formam substantialem, modò illam habere possit, est otiosa sufficienter ad non existentiam.

CCXXVII. Colliges contra PP. Suarezem, Fonseca, Molinam, Murciam & alios plures, materiam primam posse à Deo conservari absque omni forma substantiali eodem concursu, quo sub forma conservatur; quia forma nullum habet influxum etiam conditionalem in materiam: quod verò habeat illam informare, & materia ab ea pendeat in

genere causæ non essentialis formalis, non obstat; quia hoc genus causæ, utpote posterioris naturæ & frequenter tempore, est naturaliter à materia existente separabile: an autem materia à Deo primò produci naturaliter poterit sine omni forma substantiali? non videtur ob præmissa dubitandi ratio, neque contra militat autoritas D. Thomæ, ut dicta Dub. 3. Resol. 3. in Quæstiuncula, consideranti patebit.

D V B I V M I X.

An omnis materia sit unius speciei, & possibilis sit aliqua diversa speciei.

R E S O L U T I O I.

CCXXVIII. **D**ico 1^o, materiam sublunarem esse unius speciei non demonstratur quidem, sed tamen probabiliter suadetur.

CCXXIX. Probatur prima Pars; quia evidens non est omnem materiam sublunarem esse omnium, & earundem formarum susceptivam; quis enim evidenter probet materiam sub forma adamantis existentem, prius fuisse sub forma terræ, ut nonnulli putant; & non à Principio, aut fuisse creatam sine forma substantiali (ut supra potuisse naturaliter fieri ostendimus) aut cum forma substantiali adamantis, sic ut experientia, quæ convincitur adamantem in aliud corpus non converti, probabiliter suadet materiam illam non esse nisi istius formæ capacem, prout de materia celestium probabiliter suadet Theologi, ex eo, quod in alia corpora non convertantur? ergo, &c.

CCXXX. Probatur secunda Pars: tum ex definitione materiæ supra ex Aristotele allata *primum in niscujusque rei subiectum*, &c. ubi non videtur materiam in genere definire; sed sublunarem, cui soli est accommodatior; si materia celestis specie distinguatur à sublunari, ut plures docent; tum quia entia non sunt specie distinguenda sine ratione & fundamento, quod hic non est, quandoquidem omnia corpora sublunaria, præterquam fortè Adamas & paucissima alia, in se mutuo convertantur, ut experientia docet: nam lignum in ignem; ignis in cineres; cineres in terram; terra in herbas; herbæ in animalia; animalia in calculos, lapides, ossa, &c. convertuntur; ergo, &c.

R E S O L U T I O I I.

CCXXXI. **D**ico 2^o, dari possunt materiæ sublunares specie diversæ, & una perfectior omni materiæ sublunari, quæ de facto datur.

CCXXXII. Probatur prima Pars, quia, uti ex Resolutione prima patet, fortè nunc datur materia diversæ speciei in Adamante à materia aliorum corporum sublunarium, ergo, &c.

CCXXXIII. Probatur secunda Pars, unde & prima confirmatur: tota essentia materiæ in eo consistit, quod sit subiectum sustentationis positivè primum; sed materia secundum definitionem illam potest dividi in plures species, videlicet in materiam subiectum sustentationis positivè primum unius tantum formæ substantialis, & materiam subiectum sustentationis positivè primum plurium formarum substantialium specie diversarum: in materiam subiectum, &c. harum, & materiam subiectum illarum tantum, ergo, &c. Probatur major; quia definitio materiæ sic tradi debet,

bet, ut non solum sublunari, quæ modò datur, conveniat, prout eam tradit Aristoteles supra citatus; sed sic, ut omni materiæ existenti & possibili conveniat; & formam sibi oppositam à suo conceptu excludat, quod fit per illam definitionem, in qua dicimus totam materiæ essentiam consistere, ergo, &c.

CCXXXIV. Confirmatur, creet Deus alium mundum, & omnino alias corporum species, ut potest, in illo materia erit, ut probabiliter colligetur, specie distincta, à materia hujus mundi, ergo, &c.

RESOLUTIO III.

CCXXXV. **D**ico 3^o, materiam cœlestem esse ejusdem speciei cum sublunari, non demonstratur quidem, sed probabiliter suadetur.

CCXXXVI. Probatur prima Pars; quia id experientia non docet: nam licet probabiliter doceant multi firmamentum, id est, Cœlum stellarum & orbes omnes inferiores, esse factos ex aquis, quæ erant inter terram & Cœlum Empyreum; id tamen pendet ab hominum conjecturali interpretatione; unde alii per firmamentum etiam probabiliter intelligunt infimam aëris regionem, quæ aquas pluviales ab aliis dividit, ac proinde id evidens non est, ergo, &c.

CCXXXVII. Probatur secunda Pars, 1^o, quia materia sublunaris est capax formæ hominis perfectioris; ergo & Cœlestis imperfectioris; alioqui fatendum esset sublunarem esse perfectiorem Cœlesti, quod non satis suadetur.

CCXXXVIII. Probatur secunda Pars, 2^o, materia sublunaris est capax formæ materialis & spiritualis; ergo & sublunaris corruptibilis ac cœlestis incorruptibilis, ergo, &c.

CCXXXIX. Objicies 1^o, ex P. Compt. Disp. 2^o, de Cœlo: cum potentia in materia Cœli ad formas corruptibiles nunquam reducenda sit ad actum, imò naturaliter eò reduci non possit, videtur omnino superflua, ergo, &c.

CCXL. Confirmatur ex eodem; si videremus potentiam activam, quæ nunquam posset exercere tales specie actus, optimè colligeremus non esse potentiam ad ejusmodi actus, ergo, &c.

CCXLI. Respondeo 1^o, retorquendo Argumentum in appetitum materiæ ad formas corruptas, qui non ideo superfluus est, quia nunquam reducendus est ad actum, ut supra Dubio 6^o vidimus.

CCXLII. Respondeo 2^o, potentiam illam non reducendam ad actum defectu alicujus se tenentis ex parte generationis ut mutationis; non verò de-

fectu alicujus se tenentis ex parte formæ; quia eadem omnino manente potentia, & solâ mutatione formæ incorruptibilis factâ in corruptibilem, reduceretur ad actum: unde dici non potest superflua, sed impedita tantum dici debet; impedita autem potentia supponit potentiam; superflua verò negationem potentia arguit, quamdiu per experientiam non probatur esse potentia. Vnde

Ad Confirmationem

CCXLIII. Respondet P. Poncius Disp. 3. Phys. Concl. 2^a. non esse frustraneam potentiam in aliqua specie, licet in aliquo individuo non posset reduci ad actum, modò in aliis individuis possit reduci; sed non satisfacit; quia responderet P. Comptonus, in aliis individuis non fore frustraneam, in hoc autem fore, & ideo hoc debere esse diversæ speciei ab illis. Quare aliter

CCXLIV. Respondeo distinguendo assumptum; si videremus potentiam activam, quæ nunquam, defectu alicujus se tenentis ex parte ipsius, posset exercere tales specie actus, optimè colligeremus non esse potentiam ad ejusmodi actus, concedo assumptum; defectu alicujus extrinseci, nego assumptum; quis enim dicat 1^o, (jam per experientiam notificato, quòd illuminatio objecti non se teneat ex parte potentia visiva, sed ex parte objecti proxime visibilis) illum hominem, in cujus oculis defectus non notaretur, non habere potentiam visivam, quia semper fuisset, & esset constitutus in loco tenebroso, in quo nihil videre potuisset? Quis dicat 2^o, potentiam intelligendi independentem à phantasmate esse in anima nostra superflua, quia, quamdiu anima est in corpore, non potest independentem ab illo intelligere, prout materia illa, quamdiu est sub forma cœlesti, non potest sublunarem recipere? certè nullus; adde tamen nos pro hac Resolutione plus habere, videlicet paritatem illam, & Resolutionis duas allatas probationes, quæ saltem probabiliter suadent, illam esse veram.

CCXLV. Objicies 2^o, si materia cœlestis esset ejusdem speciei cum sublunari, posset cœlum converti in corpora sublunaria, ut aërem, aquam, &c. & illa in se convertere; sed hoc est absurdum, ergo, &c.

CCXLVI. Respondeo experientiam nostram eò usque non pertingere, & hoc certum esse, non omnia, etiam sublunaria vicina, posse in se mutuo converti aut convertere, ut patet ex Adamante, qui in alia sublunaria non convertitur, & an alia in se convertat, non satis probatur; unde non video quo fundamento de cœlestibus id asseratur.

DISPUTATIO TERTIA

De forma Substantiali.

NOta, formam ab eo formam dici, quòd materiæ deformitatem ac ruditatem formet ac poliat; sic nempe ut non sit subjectum sustentationis positivè primum, sed in eo sustentetur, vel saltem illi uniat, tamquam perfectius quidpiam denominans, imperfectiori cuiusdam denominato: cum quo facit unum compositum substantiale, per modum actus & potentia, si substantialis; accidentale, si accidentalis: brevius tamen forma definiri potest, *Actus pri-*

mus materia. Actus distinctus à materia. Pars illa, quæ simul cum materia, unum per se, & non secundum accidens constituit: illa enim definitiones, jam præsupposita aliunde cognitione materiæ, sunt bonæ.

Nomina, quibus variè à variis ex Antiquioribus Philosophis forma nuncupatur, ut *pulchrum*, eò quòd pulchram faciat materiam alioqui per se turpem: *Quidditatis rationem*, eò quòd essentiam ultimò constituat, &c. ut inutilia omitto. Quare, sit